Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Kolb, Gregor,

Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum Moguntinorum, Trevirensium et Coloniensium

Augustae Vindel. 1733

Regensburg, Staatliche Bibliothek -- 999/4Hist.eccl.191
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11061230-4
VD18 11366486-008


Super Petrā.
S. Petrus
S. Crescens
S. Eucharius
S. Maternus
I. M. Gutwein Sc.

Comparavit hanc Librum P. Romanus ao 1771 pro 22 x 4 f.

SERIES EPISCOPORUM ARCHIEPISCOPORUM ET ELECTORUM MOGUNTINORUM, TREVIRENSIUM ET COLONIENSIUM,

Unâ cum

REFLEXIONIBUS HISTORICIS

Contra

Joannem Hübnerum & alios Scriptores Heterodoxos &c.

Sub

AUSPICIO & PATROCINIO

REVERENDISSIMI, PERILLUSTRIS AC GENEROSI

DOMINI DOMINI

CASIMIRI ANTONII

Liberi Baronis à Sickingen &c. Ecclesiarum Metropolitanæ Moguntinensis & Cathedralis Constantiensis, nec non Equestrium ad S. Albanum Moguntiæ & Brusaliæ Canonico Capitulari &c. Domini Patroni sui perquam Gratiosi.

ROTTWILÆ IN LUCEM EDIDIT MDCCXXV.

P. GREGORIUS KOLB S. J.

Historiæ quondam Prof. Ordinarius.

Editio Secunda.

Sumptibus Hæredum MARTINI HAPPACH, & Consort.
Bibliopol. Augustæ Vindel. 1733.

REVERENDISSIME AC PERILLUSTRIS DOMINE PATRONE

Perquam Gratiose.

NEc parva, nec pauca ſunt, quæ Superi conceſſerunt tibi munera; virtus nimirum, doctrina & eximiæ naturæ dotes, quibus emines, te Cathedralis Eccleſiæ non unius tantùm favoribus, & plurimorum affectu, ac veneratione dignum faciunt. Quidquid illi in alios diſperſum vident, in te uno collectum prædicant, vel ipſo etiam corpore tuo animi majoris magno teſte; ut adeò ſpei publicæ pars magna quieſcat in te, in cujus virtute, prudentia & ſingulari humanitate Magnates exemplum ſuſpiciunt; inferiores verò fortunarum ſuarum ac neceſſitatum meritò Tutorem agnoſcunt. Dum in Eccleſia Canonicus verſaris, ita te geris, ut natus factus Eccleſiæ videaris; quamvis te *Sæculum* longo tempore ſit viſum invidere, ſeriùs quàm par eſt, liberum tibi ex foro in cho-

chorum concedens tranſitum. Pluribus non audeo onerare modeſtiam tuam, quæ ſilentii præceptum ita meo impoſuit calamo, ut nec de tuis virtutibus, nec de avitæ Familiæ Sickingianæ dotibus plura liceat ſcribere: mavis nimirum ex norma virtutis vivere, atque adeò laudes mereri, quàm laudari. At hoc ipſum inter multa alia novo eſt argumento, ut non verear te Synopſis Hiſtoricæ meæ Patronum appellare: modeſtiam enim hanc tuam ſingularem cum pluribus perſpectam habeam, & Hiſtoriæ, præſertim Sacræ, cùm æſtimatorem eximium te eſſe abundè intelligam, à Reverendiſſimo nomine tuo aliquam illi commendationem obtineri poſſe confido: judicabunt namque periti, eſſe aliquid in hoc tenui compendio, quod legi mereatur, cum tuum ſua in fronte nomen præſeferat. Privata mea nomina, quibus jam à pluribus annis me tibi, univerſæque, verè Perilluſtri Familiæ tuæ devinctum profiteor, tacitus prætereo; cum dignè me illis reſpondere non poſſe lubens confitear. Deus Optimus Maximus, Pientiſſimus votis meis id tribuat, ut diuturna cum incolumitate in te eximia hæc decora tua pluribus incrementis augeat, & ad tuam pariter totiúsqus Eccleſiæ felicitatem conſummet. Ita cum omnibus bonis ardentiſſimé exoptat.

REVERENDISSIMÆ AC PERILLUSTRIS DOMINATIONIS TUÆ

Servorum infimus

Gregorius Kolb S. J.

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS
Cum Privilegio Cæſareo.

CUm Domini Martini Happach p. m. Hæredes & Conſors Bibliopolæ Auguſtani ſecunda vice typis edere deſiderent Librum cui Titulus Series Electorum à P. Gregorio Kolb Societatis JESU Sacerdote, Idiomate Latino conſcriptum &c. Ego Joſephus Mayr Societatis JESU per Superiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, poteſtate ab Adm. R. P. N. Franciſco Retz Societatis ejusdem Præpoſito Generali mihi conceſſa, eisdem ad hanc ſecundam Editionem duntaxat facultatem impertio, ſimulque communico Privilegium Cæſareum, quô aliis Bibliopolis & Typographis interdicitur, ne dictum Librum citra conſenſum Superiorum vel recudere, vel intra fines Imperii & Hæreditarias Sacræ Cæſaræ Majeſtatis Provincias inferre præſumant. In cujus Confirmationem has litteras, chirographô meô & conſuetô Officii mei Sigillô munitas dedi. Auguſtæ 2. May 1733. (LS)

Joſephus Mayr.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Matth. 16. v. 18.

EST hoc verbi divini oraculum; eſt Chriſti Sponſi diviniſſimi Eccleſiam ſibi ſponſam amoris vinculo devincentis promiſſum fideliſſimum; eſt Supremi quondam in ſe ipſo, nunc verò in Vicario ſuo viſibilis Paſtoris & Epiſcopi dictum datúmque Agnis atque Ovibus ſolatium ad ſpem firmam excitandam efficaciſſimum; eſt omnia prævidentis, & providentiſſimi donum DEI ædificantis Architecti præſagium adversùs quasvis rimas & ruinas potentiſſimum. Præſagium & promiſſum hoc cœleſte meritò videri poteſt datum atque ſervatum eſſe non Romanæ duntaxat Eccleſiæ, ſed & aliis Eccleſiis cum Romana penitus unitis & adunatis, quarum cùm plurimæ numerentur, inter primas

mas numeranda venit Ecclesia Germanica; pluribus iisque principibus innixa columnis. Columnam unam Principem jure dicimus Moguntinam, alteram Trevirensem, huic proximam Coloniensem. Est Romana Ecclesia Mater; Romanæ Matris Ecclesiæ sunt eædem Ecclesiæ Filiæ Germanæ. Est Romana Ecclesia Mons Dei; illæ supra Montem Dei arces positæ. Est Romana Ecclesia navigium Petri maximum; illæ sunt petrinæ naves minores. Dum persecutiones maximas perpessa est Mater fortissima; in persecutionibus fuerunt & Filiæ invictissimæ. Dum Mons Dei obsidiones sustinuit gravissimas ipse immotus & immobilis; impetus quoque vehementissimos repulerunt arces inexpugnabiles. Dum Petri navigium inter tempestates, fluctus & procellas jactatum fuit absque naufragio, non unus duntaxat Neptunus adversùs Triremes Germaniæ iratum caput incassum extulit, vocatis licèt in suppetias orcinis copiis, quas inter classem inimicam adornârunt tyrannis, hæresis, schisma, & scelera alia maxima vitiorum duces. Neque has leves aut breves velitationes, sed pugnas gravissimas fuisse experientia docuit. Et quidem jam primis à Nativitate Domini seculis pugnas similes pugnare cœperunt etiam Moguntiæ, Treviris, Coloniæ, & temporis successu Salisburgi, Visuntii & Episcopatibus minoribus, tyranni veriùs quàm Principis nomine digni Duces. Tyrannis successerunt & accesserunt Simoniaci, Ariani, Eutychiani, Iconomachi, & his nostris seculis absque suo nomine notissimi, quos inter & sibi non ultimum pugnandi locum vendicavit Hübnerus cum sociis Scriptoribus & Lectoribus haud paucis, quorum arma quàm sint fortia adversùs Pontifices Romanos & Cæsares, cùm absque nostro vulnere exceperimus; ordo præliorum jam exigit, ut experiamur, quàm acuta sint tela aut jacula præsentia, quæ in Germaniæ Archipræsules & horum Suffraganeos contorserunt. Si victi fuerimus, victas dabimus manus: si vicerimus, devictos manu tenebimus, & propiùs in Ecclesiam Germanam, ac inde in Romanam reductos servabimus. Primo cujuscunque loco gesta Archipræsulum, Moguntini nimirum,

Tre-

Trevirensis & Coloniensis pauca compendiô dabimus: tum verò Reflexiones addere liceat, in quibus peramicè cum hoste pugnabimus. Cæterùm Lectorem commonitum volo, Hübneri tomulos diversa Editione typis impressos, continere paginas diversis omnino numeris notatas; unde si paginarum numeri hoc in opusculo expressi non conveniant cum Editione posteriori, conveniunt tamen cum priori, & certè cum substantia utriusque Editionis. Denique defectus typi, typographi & correctoris excusabunt facilè Lectorum peritia & patientia.



SERIES EPISCOPORUM MOGUNTIÆ.

PERIODUS I.

SECVLVM PRIMVM.

I. D. CRESCENS.

PEtro Apoſtolorum Principi, & Paulo gentium Doctori non abſimiles dedit Diſcipulos gratia Servatoris noſtri in omnes abundantiſſima. Hac eadem gratia & vocatione prorſus ſingulari excitati, quot regna & provincias tum in Aſia, tum in Europa peragraverint ijdem Apoſtolorum Principes, ritè credentibus teſtatur locupletiſſimè Sacer Codex non magìs humanâ manu exaratus, aut à ſpiritu privato, quam divino conſilio probatus &

DEI scriptus digito. Inter utriusque Doctoris Discipulos numeratus jam abhinc seculis ferè XVII. D. Crescens, à D. Paulo Præceptore principijs imbutus Apostolicis, à D. Petro autem omnium Pontificum primipilo Episcopus probatus & confirmatus, non unius tantùm regni provincias giganteis quasi passibus est emensus, ut ad optatam metam pertingeret. Non desunt fortè Scriptores, qui in Asiæ provincias, præsertim verò in Galatiam abiisse autumârunt. In Italia hausisse præcepta à Magistris, rerum ordinem ritè arbitrantibus, non est dubium. Viennæ in Gallia tempore aliquanto sedisse Episcopum contendunt Galli maximè. Omnium Episcoporum Moguntiæ primum Evangelij semen seminâsse, zizania eradicâsse, virtutes plantâsse, idolorum delubra destruxisse, ut Sedes prima cederetur DEO, & altera Episcopo, non tantùm Orthodoxi concedunt, sed toto capite annuunt etiam Recentiores Heterodoxi non pauci. Annis 22. Moguntiæ Supremum Antistitem sedisse scribit Trithemius D. Crescentis observator sedulus. Trithemio in enumeratis annis conformes sunt annales Moguntini. Inter Martyres eminuisse imperante Trajano an. Christi 102. aut 103. concordi sententia tradiderunt Authores Itali, Gali, Germani &c. à quibus dissentit neutiquam Martyrologium Latinum. Exuvias tanti Martyris Moguntiæ in æde S. Hilarij sepultas primò, & inde in S. Albani templum translatas esse, exhibent monumenta antiquissima, quibus accessit novum hoc ornamentum Poeticum in basilica arcis Moguntinæ scriptum:

Bis Moguntinis undenos præfuit annos,
Et vitâ clarus, clarus & eloquio,
Martyriúmque tulit Trajano Principe, Christi
Dum Decades denas auxerat una trias.

RE-

REFLEXIO
Supra Seriem Moguntinam ſingularis.

TAmetſi multis in rebus neceſſe non ſit Hiſtorico, Hiſtoriam ſuam nimiùm anxiè ſtabilire probatiſſimorum authorum firmitate, aut Argumentorum aliorum graviſſimo pondere, ut tamen id faciat, ſuadet perſæpe efficacius neceſſitate conſilium. Ea ſunt inſuper tempora & hominum mores hac noſtra ætate, ut quamvis paſſim Heterodoxorum viri plurimi Hiſtoriam ſcribant, nec tamen probata authoritate, nec ratione ipſi communiant, aliorum nihilominus Hiſtorias non Hiſtorias, ſed fabulas continuò aut calumnias dicant, niſi teſtimoniis omni exceptione majoribus obruantur, & velut torrente rationum ad aſſenſum rapiantur: quamvis ſic etiam frons & oculi ſæpe mentiantur, oratio verò ſæpiſſimè; ut nimirum celetur inimica victoria, & qua ſemel eſt imbuta recens odorem ſervet teſta diu. Vel ut apertiùs dicam, ne deſeri à ſuis videatur malè fundata ſuper fabulas doctrina etiam dogmatica. Quamvis igitur hoc loco fortè nec Hübnerum, nec Hübnero ſimilem nactus ſim adverſarium, dum de D. Creſcente Moguntiæ Epiſcopo primo cœpi dicere; conſultiſſimum tamen mihi fore prævideo, ſi ferè ſingula geſtorum capita majori authoritate communivero:

Quæritur itaque I. An in Galatiam miſſus venerit D. Creſcens?

Q. II. An Viennam Galliæ pervenerit?

Q. III. Si eò pervenerit, an nihilominus annis 22. Moguntiæ Epiſcopus ſederit?

Q. IV. An ab Apoſtolis Epiſcopus miſſus venerit?

Reſpondetur ad I. Etſi epiſtolam Doctoris gentium ad Timotheum datam perfunctoriè tantùm legenti poſſit apparere, D. Creſcentem tetendiſſe in Aſiæ Galatiam, minimè verò in Gal-

liam, aut adſitas Rheno provincias, hæc tamen duo poſteriora membra, minimè verò membrum anterius teſtantur authoritate ſua maxima DD. Epiphanius, Hieronymus, Sophronius, Theodoretus, Ado, Beda, Uſuardus, aliique authores magno numero à P. Serario lib. 2. de rebus Mogunt. relati, quâ unanimi ſententia tradunt, Galatiæ nomine appellatas fuiſſe ſeculis antiquiſſimis Galliam aliàsque Rheno propinquas Provincias.

R. ad II. & III. Viennam Galliæ adveniſſe D. Creſcentem, & multo fortaſſis tempore populum Orthodoxâ doctrinâ & Chriſtianis moribus inſtruxiſſe, produnt nobis Ado, Beda, Uſuardus, & Petrus Cluniacenſis, nec non Martyrologium Romanum die 27. Junij; nemo tamen authorum horum aut aliorum inficias ibit, D. Creſcentem Moguntinis præfuiſſe Epiſcopum. Quin ſi fingamus etiam, hunc ipſum D. Pauli diſcipulum aliquo tempore divina explicâſſe præcepta in Aſiæ Galatia, in Italia, Gallia & quibusdam Germaniæ provinciis; Moguntiæ perinde tamen nec pilus adimitur: ſuperavit enim ætate ſua annos omnino 80. ex communi hac de re Scribentium mente. Quippe in Galatiam ſi miſſus abiit, abiiſſe eo tempore certùm eſt, quo Magiſter Paulus alteram dedit ad Timotheum epiſtolam: annis verò novem ante D. Pauli Martyrium ſcriptam fuiſſe, argumentis probat Baronius, quamvis nonnihil refragentur D. Hieronymus, & Euſebius, ſeriùs eam conſcriptam eſſe affirmantes. Si igitur horum opinionem amplecti & dicere fas ſit, anno Pauli poſtremo epiſtolam hanc ſcriptam, & Creſcentem in Galatiam miſſum veniſſe, haud adverſabimur dictis his noſtris: namque D. Paulus an. poſt natum Servatorem *69.* capite plexus ſub Nerone, D. Creſcens verò, an. 102. aut 103. ſub Trajano paſſus eſt: annorum igitur 33. intervallum inter D. Pauli & hujus diſcipuli Creſcentis fata interceſſit: cui ſi demantur 22. anni Moguntiæ numerati; annos omnes reliquos vendicant ſibi Galatia & Galliæ

Vienna

Vienna, nimirum annos 11. Quod ſi tot annorum ſpatium non ſufficiat aut Gallis aut Galatis, quis jure affirmare poterit, D. Creſcentem eo, quo Moguntinis leges explicavit tempore, nunquam excurriſſe in provincias alias nunc propinquas, nunc remotas? abhorruerunt certè ab hoc ſedendi more & mora antiquiſſimorum Epiſcoporum plerique, dum oves paſcebant, & nova paſcua nunquam non inquirebant.

R. ad IV. Inter D. Pauli diſcipulos floruiſſe Creſcentem etiam, conſenſu maximo tradidêre Patres & Hiſtorici tum antiqui, tum medij, tum recentiores, quorum omnium recenſet nomina Serarius lib. ſui cap. 11. pag. 226. An verò à Paulo, an ab Apoſtolorum Principe Petro Epiſcopus miſſus venerit in Galliam, aut ſi mavis, in Germaniam, tam parùm diſſentire videntur authores graviſſimi, ut qui in ea miſſione partem Petro, & partem Paulo tribuerit, omne punctum tulerit: miſit nimirum Petrus, miſit & Paulus; hic diſcipulum, ille Epiſcopum. Quin miſiſſe ſuo modo Creſcentem Apoſtoli omnes cenſendi ſunt juxta illud, quod habet lib. 1. Conſtitut. Apoſtol. cap. 47. *Creſcentem Epiſcopum Eccleſiarum Galatiæ Ordinavimus.*

Fallitur nimirum maximopere, qui in Apoſtolorum Collegio diſſenſionibus multis aut diſcordiis locum fuiſſe exiſtimat: caput unum & membra plura concordes ſervabant animos; quam concordiam procul dubio à Divino Spiritu datam cùm negare non ſuſtinerent Heterodoxorum multi, finxêre duo humana capita, Petrum & Paulum Eccleſiæ præeſſe juſſos ab uno ſupremo Capite Chriſto Deo.

Verùm inani huic ſententiæ caput pridem amputavit unà cum C. Bellarmino authorum plurimorum phalanx, argumentis veluti gladiis ex S. Codice petitis potentiſſima. Cæterùm à D. Pe-

tro Româ dimissum esse Crescentem, clarissimè docuêre D. Innocentius in ep. ad Januar. Item Rupertus Abbas offic. c. 27. Genebrardus lib. 3. Accedit testimonium Moguntiæ antiquissimum hac Methodo scriptum:

Petrus Apostolici Coryphæus Culminis illum
Jussit apud Belgas Præsulis esse loco.

SECULUM II.

II. D. MARINUS.

PRimus à D. Crescente Moguntiæ Episcopus docuit D. Marinus Martyr, quem alij dixerunt Martinum, cujusmodi vel error, vel nominis varietas sæpe irrepsit in Seriem Romanorum etiam Pontificum, & aliorum in Historia notissimorum Præsulum. Plura de hoc & aliis Episcopis sanè plurimis non sinunt scribere secula antiquissima, quibus libros suos & testimonia sacra abstulit tyranorum plurimorum non modò in homines, sed & in quævis Orthodoxæ Ecclesiæ monumenta igne & ferro sævientium crudelitas: unde tàm in hac, quàm sequenti Episcoporum & Archiepiscoporum Serie duplici Virorum nominibus potiùs, quàm gestis & meritis maximis Lectores oportebit esse contentos. Sedit D. Marinus an. *6*.

III.	D. Crescentius.	-	18.
IV.	Cyriacus.	-	14.
V.	D. Hilarius.	*Sed. an.*	20.
VI.	D. Martinus. II.	-	14.
VII.	D. Celsus.	-	22.
VIII.	D. Lucius.	-	10.

SE-

SECULUM III.

IX. S. GOTHARDVS.

DIctus ab aliis Godeardus & Bodardus, Trithemio teste multa gentilium millia Christo lucrari studuit, dum firmiter statuit vir esse laboris & doloris patientissimus. Mons geminus etiam hodie prope Moguntiam suspicitur, qui præbuit Gothardo amplum agendi & patiendi campum: supra alterum enim, montem Martis appellatum, vicini populi statuto tempore convenêre, ut Drusi Romanorum Ducis memoriam renovarent & Dijs litarent. Montem hunc posteri jure meliori D. Jacobo dicatum novo dixerunt nomine Jacobinum. Mons alter, postea mons Martyrum & D. Albani appellatus, locus erat, in quo Christianorum plurimi catenis ligari, suppliciis subjici, & morte crudelissima necari multo tempore consuevêrunt. supra montem utrumque pugnare, victoriam adversùs tyrannos referre, & trophæi instar gloriosa Christi insignia figere gavisus est victor Episcopus: aras enim idololatricas impugnavit; idololatras unum Deum adorare docuit: captivos in vinculis solari, ad constantiam hortari, ad mortem fortissimè subeundam animare Christi athletas nunquam destitit. Ut verò certamen non tam verbis, quam factis perficeretur in dies ampliùs, in vicina montibus planitie ædem erexit Christi unius Dei honoribus dedicatam. S. Nicomedis aream dixerunt denique Christiani posteri. Cæterùm quo maximè fato D. Gothardus è vivis excesserit, haud constat: in sacra valle, Dalhemium nunc dicta, sepultum primò, inde verò ad S. Albani locum translatum esse ab Hildeberto Archiepiscopo memorant. Pluribus annumera-

meratum circa annum 221. Etiam scriptores Lutherani scribunt. Annis 15. Moguntiæ Episcopus pugnavit. *Vide Cochlæum, & Sueton. de monte Martis.*

X.	S. Saphronius.	-	8.
XI.	S. Herigerus M.	-	4.
XII.	S. Rutherus M.	*Sed. an.*	20.
XIII.	S. Avitus.	-	22.
XIV.	S. Ignatius M.	-	13.
XV.	S. Dionysius.	-	26.

SECULUM IV.

XVI.	S. Ruthbertus.	-	12.
XVII.	S. Adelhardus.	-	10.

XVIII. S. LVCIVS.

S. Lucius II. cognomento Annæus natione Romanus, Arianis in Catholico orbe propemodum universo jam tum invalescentibus non unum tantum posuit obicem & statuit aggerem; quare ab eorundem armatis partibus ligatus, & mox in exilium ejectus, mortem oppetiît gloriosam, in Phrygia unà cum duobus sociis Sacerdotibus Paulo & Crescentio fune suffocatus. Igitur tum inter vivos, tum mortuos iis promeritus est extolli encomiis, quibus Lucium prosecutus est *Trithemius* in gestis S. Maximi vocans eundem *Virum Apostolicæ atque Sanctissimæ vitæ.* Sedit an. 18. *vide Surium in vita S. Maximi.*

XIX. S. MA-

XIX. S. MAXIMVS.

S. Maximus Moguntiæ ſub initium Seculi IV. ex honeſtis iiſque Chriſtiano Dogmate imbutis parentibus natus & educatus inter æquales ſuos quà literis, quà probatis moribus eminuit. Scientiis dein exornatus virtutibus, ac inter Sacerdotes adſcriptus D. Adelhardo ſe reddidit gratiſſimum. D. Annæo adversùs Arianos pugil acceſsit ore, calamo, & opere potentiſsimus: unde cùm in exilium pulſo Annæo ægrè adversùs violentas hoſtium manus & inſidias ab amicis fuiſſet ſervatus Maximus, nemo præ ipſo Epiſcopus Moguntiæ placuit. Non humano magìs quàm divino conſilio conſtitutum Supremum Moguntinorum Præſulem fuiſſe eventus rerum comprobavit multiplex; Conſtantius enim ex Conſtantini M. filiis ſuperſtes ſolus, Arij errores adversùs manifeſta etiam miracula pertinaciter tueri perrexit: unde non niſi re & nomine maximis opus erat adverſariis, qualem ſe contra Cæſarem oſtendit in Oriente D. Athanaſius, in Occidente D. Maximus cum ſociis Epiſcopis. Lubeat hanc in rem ex Surij & Trithemij multis verbis non pauca decerpere, quæ ita habent: *Non eſt eo tempore inventus apud Germanos Pontifex doctior ſanctiórque Præſule Maximo, qui tanta ſub innocentia & eruditione ſcripturarum legem ſervaret excelſi, quoniam & hæreticorum errores verbis & ſcriptis conſtantiſſimè redarguit, & fundatus ſupra firmum Petrum divini amoris nullas eorum perſecutiones formidavit. Septies tempore ſui Pontificatus ab impiis Arianis urbe Moguntina pulſus eſt: ſepties quoque divinâ providentiâ reſtitutus, nunquam dejectus animo, nunquam victus aut ſuperatus.* Multa alia in laudem Clericorum ejus temporis maximam deſcripſit *Serarius* ex *Surio & Trithemio*; horum prioris vide pag. 241. & *ſeqq.*

XX. SIDONIUS I. ſed. an. 19. ſub D. Felice, Liber. & Damaſ.

XXI. SIGISMUNDUS. 6. ſub D. Siricio & D. Anaſtaſio.

SECULUM V.

XXII. LUPOLDUS. 17. ſub D. Innocentio I.
XXIII. NICETIUS. ſed. an. 8. D. Bonifac. I. & D. Cœleſtin.
XXIV. MARIANUS. 10. D. Cœleſt. & D. Sixto III.

XV. D. AVREVS.

D. Aureus Moguntinorum Epiſcopus, ad Clavum Romanum ſedente D. Leone I. Pont. electus, qua patria, aut unde domo venerit, haud patet. Librorum nempe partem maximam optimámque tyrannorum & hæreticorum violentiâ ereptam ſibi, quæritur etiam hoc quintum Chriſti ſeculum, quo Attila Hunnorum Rex Occidentis Imperium ferè totum peſſum-dedit, & Arianorum machinatio Eccleſiam Romanam ſimúlque Germanam plurimùm vexavit. Utriusque rabiem ac furorem nimiùm quantùm expertus D. Aureus, ut ſeſe ſervaret paſtorem ovibus, Moguntiam tantiſper reliquit, partim flammis, partim ruinis ab Attila everſam, more urbium aliarum maximè in littore Rheni poſitarum, inter quales numera ſis Spiram, Wormatiam, Argentoratum &c. Victo denique & bene ad internecionem deleto in campis Galliæ Catalaunicis Hunnorum exercitu, & horum Rege in Pannoniam reduce, redux & ipſe Moguntiam D. Præſul non cunctando, ſed properando reſtituit rem. Odium idcirco incurrit Arianorum maximum paſtor vigilantiſſimus; unde cùm fortè in Sacello prope Dalhemium extructo ad aram faceret, ab Arianorum armata cohorte ſubitò occupatur, multis confoditur vulneribus, & unà cum paris ſanctitatis ſorore Juſtina præceps in profundum datur. Annis trecentis & pluribus latuêre hæc DD. Martyrum cadavera, nulla ſui parte corrupta, & ſanguinis rubore aſperſa, quæ tandem Richolphus Carolo M. gratiſſimus

Ar-

Archiepiſcopus ſolatio ſuo maximo reperta in D. Albani templum transtulit, translationem hanc clariſſimis miraculis ratam habentibus Superis. Annis 16. præfuit Eccleſiæ Moguntinæ D. Aureus, quem ſacra in ſede ſunt ſecuti Epiſcopi complures, non niſi nominibus denuo & ferè communibus encomiis celebres, dicti omnes *Epiſcopi laude digniſſimi, Paſtores boni &c.*

XXVI.	EUTROPIUS.	ſed. an. 23. ſub	D. Leon. I. D. Hilar. & D. Simplicio.
XXVII.	S. ADELBERTUS.	de an. ſedis	D. Felice III.
XXVIII.	RATHERIUS.	non conſtat.	D. Gelaſio.
XXIX.	ADELBALDUS.		D. Anaſtaſio II.

SECULUM VI.

XXX.	LANDFRIDUS.	de ſedis an. ſub	D. Symacho.
XXXI.	RUDHARDUS.	non conſtat.	D. Hormiſta.

XXXII. SIDONIUS II.

Sidonius II. ſub D. Felice IV. & aliis hujus Seculi V. Pontificibus floruit: quamvis enim de Sidonij annis in ſede Epiſcopali numeratis non clarè conſtet, poſteris nihilominus eundem annorum numero & meritis excelluiſſe, diverſæ prodiderunt abundè rerum circumſtantiæ: ſiquidem non niſi ſex aut ſeptem numeravit Moguntiæ Epiſcopos hoc VI. Seculum, inter præſtantiſſimos numerans Sidonium: Moguntiam quippe hactenus ſub ruinis ſepultum ſuſcitavit denuo quà conſiliis, quà auxiliis Sidonius. Vigorem priſtinum reddidit ſacris officiis, eum in finem erectis templis & ædificiis aliis ad fovendam religionem maximè idoneis. Doctrinâ, eloquentiâ & virtutibus aliis cùm eſſet in Eccleſia, præſertim Germana celeberrimus, hæreticorum ſui temporis malleus ex merito ſuo eſt appellatus. In egenos præſertim liberaliſſimum

mum fuisse ferunt adeò, ut pauperum, exulum & captivorum passim appellârint refugium. Venantio Fortunato hujus ipsius Seculi VI. Pictaviensium Episcopo, auctori sanè laudatissimo, plurimùm obstricta est posteritas, quòd hujus ipsius Sidonij encomia eleganti carmine fuerit prosecutus in hunc modum à Petro Serario descriptum:

Reddita ne doleas, felix Moguntia, casus.
Antistes rediit, qui tibi ferret opem.
Ne mœrori gravi lachrimans orbata jaceres,
Te meruisse time. - - -
Porrigit ecce manum genitor Sidonius urbi,
Quo renovante locum, prisca ruina perit.
Jura Sacerdotum sacro moderamine servans,
Per cujus studium crevit & ipse gradus.
Parturit assiduè gravidos Ecclesia fructus,
Quam vir Apostolico vinctus amore regis.
Suscipit hæredes cœlesti germine natus,
Tali nupta viro quando marita placet.
Te vigili custode lupus non diripit agnos:
Te pascente gregem, non ovis ulla perit.
Cautiùs in tuto per mitia pascua ducit:
Toxica ne noceant, florea rura paras.
Sis cibus ut populi, placidè jejunia servas,
Et satias alios, subtrahis unde tibi.
Nudos veste tegis, captivis vincula solvis;
Deposito reddis libera colla jugo.
Exulibus domus es, simul esurientibus esca.
Felix, cui Christus debitor inde manet.
Te doctrina probum, providentia sacra modestum
Fecit, & eloquio vincere mella tuo.
Templa vetusta novans, specioso fulta decore:
Inseris hinc populis plus in amore DEum.
Ut plebem foveas, Rheni bene construis amnes.
Quid terris referet, qui bona præbet aquis?
Hìc quòd fana micant, ac instaurata quòd extant,
Vivis in æternum laude fluente tibi.
Hac cresces longos meritorum fruge per annos,
Et crescente diu de grege vota feres.

Carmen hoc, tametsi vel seculorum multorum injuriâ vitiatum, vel delicatis hisce seculis vix bene probatum, apponere tamen libuit, ut quantus fuerit Episcopus Sidonius, ex testimonio simul Historici & Poetæ antiquissimi colligere liceat.

XXXIII. WILBERTUS. de an. Sedis non constat. sub Benedicto I. & Pelagio II.

XXXIV. LUDEGASTUS.

Ludegastus, aliis dictus Lindegasius, sub Gregorio M. Moguntiæ mitrâ est exornatus. Eadem ferè ætate Theodoricus & Theodebertus in Austrasia fratres regij, armis sese mutuis aggressi, in Tullensibus denique campis pugnam conseruêre: ea enim ex pugna victum ac fugitivum fratrem Theodebertum persecuturus Theodoricus ad Ludegastum Episcopum pervenit, ubi nova consilia intellexit, quibus ad constantiam animatus Theodoricus fratrem ampliùs est persecutus. Brevissimo hoc compendio laudat Ludegastum Trithemius, vocans eundem *magnarum virtutum in Christo virum.* Sedit an. 8.

Reflexio supra Seculum VI.

Hactenus Hübnerum Seriem Antistitum Moguntinorum unà mecùm scribentem in majoris momenti capite refragari mihi vix inveni, quod magni beneficij loco habendum censeo. Id solùm encomio dignum haud judico factum, quo D D. Maximi & Aurei insignes virtutes angusto admodum compendio constrinxit, cùm res alias levissimas multis ambagibus non cessavit prosequi. Id etiam captu difficillimum hoc Seculo visum est in Hübneriano tomulo VII. pag. 15. ubi author hunc in modum scripsit: an: 525. *Moguntia magna sui parte est restituta, cui restituendæ Dagobertus Francorum Rex primus hujus nominis operam suam contribuit.* Enim vero huic VII. multùm adversatur tomul. II. & tabula ex Genealogicis 49. quibus in paginis Dagobertus I. Clotarij filius vix

anno 600. natus, & an. 631. regnare, & tamen jam an. 525. operam restituendæ Moguntiæ tribuisse refertur. Profectò rarum prorsus naturæ beneficium, centum annis priùs jam regnare, aut operari, antequam nasci. Verùm levior hic inter plures Hübneri defectus facilè illi condonatur.

SECULUM VII.

XXXV. RUDELINUS, aliis Rudhelmus, sedit an. 10. sub Bonifacio III. & IV.

XXXVI. LUTHVVALDUS. an. 11.

XXXVII. LEOVVALDUS. an. 12. sedit.

A Trithemio communibus laudantur laudibus, alter *Christianissimus*, alter *Vir Sanctissimus* vocatus. Floruerunt sub Pontificibus Theodoro I. D. Martino I. D. Eugenio I. & horum successoribus.

XXXVIII. RICHBERTVS.

Richbertus, quem alij dixerunt Rigbertem & Sigebertum &c. Sed. an. 13. si tamen turbata tempora statuere annorum sinunt numerum, profectò hoc seculo incertissimum.

SECULUM VIII.

XXXIX. GEROLDUS.

Geroldus Richberti successor foris, quàm domi illustrior, plùs Martem promovendo, quàm mortem meditando sese consecravit totum, factus denique Martis in prælio & mortis victima. Geminis nimirum bellis Carolus Martellus, Franciæ Major Domus appellatus, tunc temporis implicitus, Burgundos ab obsessa Moguntia repulit, & inde in Thuringiam adversùs

sùs Saxones cum exercitu profectus, hostes provocavit. Geroldus Martello obstrictus gemino beneficio, utpote cujus potenti suffragio in Sedem Episcopalem ascendit, & urbem ab eadem obsidione liberatam novit, se Duci junxit futurum deinceps in armis socium. Etsi verò arma converterentur in hostem Christianis Aris infensissimum, & Geroldus Sacræ melioríque causæ plurimùm confideret, cecidit tamen unà cum multis commilitonibus Episcopus: unde epitaphij loco hoc dysthichon mortuo dicavêre vel æqui rerum æstimatores, vel quorumvis Episcoporum Zoili & observatores seduli;

Ense Geroldus obit Præsul, dum dimicat ense;
Perplacet ergo chorum, non adiisse forum.

XL. GERVILIUS.

Gervilius, aliis dictus Gebiliebus, si ritè *Hübnerus* scripsit, fuit *Geroldi ex legitimo thoro natus filius.* Non multùm diversa de Gervilio reliquit nobis etiam *Bruschius:* quo autem pacto cum Episcopatu constare possit legitimum matrimonium, minimè ostendunt. Qualem Episcopum genitor sese gesserit, intelleximus: de filio nunc pauca intelligemus. A Carolo Martello in Moguntiæ solium promotus, parùm anxius de ovibus, pastor nomine tenus, in sylvis aves & feras venator cepit, in campis Martiis miles purgnavit haud æquo Marte: audito enim de genitoris morte nuntio, clam misit gregarium, ut occisorem patris amicis verbis ad se perduceret. Vix ad se perductum gladio, quem oblonga veste occulerat, percussit hostem Episcopus, nemine scelus hoc publicè detestari, aut condemnare auso, eò quòd Gervilium Martello percharum esse cognoscerent universi. Ita ferè scriptores citati referunt. Eadem ætate D. Gregorius II. per annos 16. & hujus Successor D. Gregorius III. annis 10. Pontificis Romani munus arduum summa laude obibant: ab his D. Bonifacius haud semel duntaxat missus, improbis Sacerdotibus tristis nuntius

in

in Germaniam advenerat. Non latere potuit hunc Germanorum Apoſtolum, & ſimillimum Argo Eccleſiæ cuſtodem nonnullorum Epiſcoporum, & multorum Sacerdotum negligentia; qua de cauſa celebratis tum Moguntiæ, tum in aliis Germaniæ urbibus Epiſcoporum conciliis, auditâ etiam Gervilij audaciâ, latâ in illum Pontificis nomine ſententiâ, monaſterio incluſit, in quo annis 14. delituit, & vitæ partem ultimam inter optimos pœnitentiæ fructus abſolvit. Pœnitentiam Gervilij epithaphij loco poſteris legendam reliquit Poeta hunc in modum canens:

Patrius affectus me movit ad arma cruenta:
Pœnam quam merui, digniùs ergo tuli.
In clauſtro latui pro crimine tempore vitæ:
At licet hic lateam, ſpero ſalutis opem.

PERIODUS II.

DE ARCHIEPISCOPIS MOGVNTIÆ. SECULI VIII.

Continuatio.

I. D. BONIFACIUS.

D. Bonifacius in Anglia ſi ex non regio, ſaltem ex illuſtriſſimo genere natus, illuſtrioribus longè virtutibus genus ſuum exornavit, in D. Benedicti monaſteriis ab anno ætatis ſuæ 13. educatus, & optimis moribus literiſque formatus. Inter Magiſtros Bonifacij eminuit Ven. Beda, vir ſua ætate nulli ſecundus. Poſt annum ætatis 30. Chriſti 718. miſſus Sacerdos dotibus raris inſtructus venit ad Germanos, qualem & ipſum origine fuiſſe tradunt. Friſia erat, quæ provinciis cæteris prærípuit

puit primum honorem, ubi collectis animarum ritè credentium manipulis copiosissimis Romam petiit; & ibidem à D. Gregorio Pontifice Episcopus consecratus, positóque *Wunefridi* nomine veteri, nomen Bonifacij accepit, ac Germaniam repetiit, impetrata priùs facultate disponendi de rebus plurimis in Ecclesia Germanica. Amœnoburgi non usque adeò procul remota à Moguntinis urbe, primò cathedram suam erexit & aram instruxit. Tum verò Moguntiæ, & mox in Thuringia, Hassia aliisque provinciis ad confertissimum dixit populum fructu constanter maximo, bene cœpta promoventibus Superis. Romam denuo, imò jam tertiò profectus, & à D. Gregorio III. Pont. amplissimis privilegiis munitus, in Germaniam redux Episcopatus varios partim instituit, partim instauravit. Inter Episcopatus institutos venerunt Herbipolensis, Eustadianus & Erfordensis. Inter instauratos jure censetur Episcopatus Moguntinus: anno enim 745. cùm Gervilius, utì memoratum, pœnitentiæ ergo monasterium petere jussus, sedem suam reliquisset viduam, eadem occasione Archiepiscopatus Wormatiâ Moguntiam translatus, & Bonifacio à. D. Zacharia Pontifice, ita rem disponente potissimùm Pipino Gallorum Rege, est concessus, imò maximè invito impositus totius populi Christiani applausu prorsus singulari. Bonifacius itaque primus Moguntiæ Archiepiscopus septem annorum intercapedine rem præstitit humanis viribus longè superiorem. Novo demum, quin veteri denuo accensus animarum Zelo id à Pontifice impetravit multis precibus, & regio Pipini suffragio, ut pluribus Sacerdotibus stipato licuerit secundo Rheno descendere ad Frisones in dies magìs convertendos & confirmandos: verùm ibidem post exantlatos labores plurimos, & conductos ad Christi aras sanè diversos multósque, unà cum sociorum electa cohorte à latronibus est occisus an. 755. Exuviæ sacræ Divi Martyris primò Ultrajectum, inde verò Moguntiam, & demum Moguntiâ Fuldam translatæ sunt, nunquam non miraculis insignibus conspicuæ, fidem non ne-

gantibus ipsis Scriptoribus Heterodoxis, è quibus vid. *Hübnerum*, *Lexicon Lipsiense.* &c.

II. D. LVLLVS.

D. Lullus inter populares D. Bonifacij in Britannia natus, antecessorem suum vel sanguinis propinquitate, vel certè morum, studiorum & religionis affinitate contingebat. Conjunctio profectò animorum tanta inter utrumque fuit, ut eadem successorem ad imitationem antecessoris potentissimè pertraxerit. Lullus namque ut Bonifacij Germanorum Apostoli audiret verba & sequeretur exempla ampliùs, in Germaniam venit eo secundissimo rerum eventu, ut Bonifacius ipse ad Frisones Orthodoxo dogmate in dies magìs instruendos, toto pectore incumbens, abdicata omni dignitate neminem Lullo idoneum magìs judicaverit, ut sibi succederet: cujus sententiæ pariter fuerunt Stephanus III. Rom. Pont. & Pipinus Rex, commoti facilè multis viri præstantissimi meritis, præsertim postquam pervenit Romam inter Concilij Romani Patres maximi æstimatus. Permagni faciendum esse existimavit etiam Wittekindus Saxonum Rex & Dux M. ab Archipræsule Lullo dogmate Romano instructus, & Baptismatis salutari aqua ablutus. Annis 32. partim servandæ, partim plantandæ consecravit Ecclesiæ Moguntinæ, in qua extructis ædibus sacris, & cœnobiis compluribus, singularis zeli, vigilantiæ, prudentiæ, doctrinæ & sapientiæ reliquit argumenta, monumentis etiam hodie variis posteritati comprobata: inter quæ æstimemus non parvi & illud, quo D. Archipræsul ab anno obitus sui 60. restituit subitò vigorem pedi, cui paulò antè Sepulchralis ejusdem B. Archiepiscopi lapis è tumulo levatus, atque in pedem adstantis fortè delapsus, omnem ademerat usum. Non omittendum illud etiam, quo Archipræsul sanum atque incolumem Alboinum Buriburgensem Præsulem brevì moriturum prædixit, & sibimet mortis articulum propinquissimum adesse cognovit an. 787. Caput

B. Lul-

B. Lulli Hermannus ad S. Gothardum Ord. D. Benedicti Abbas Collegio Soc. JEſu Moguntiæ inter reliquias ſacras ſervandum donavit, Hildeſiâ translatum an. 1603.

III. RICHOLPHVS.

RIcholphi poſt D. Bonifacium Moguntiæ Archipræſulis ſecundi, quamvis natales & acta prima lateant, minimè latent tamen geſta & fata ultima. Regi & demum Imperatori Carolo M. à conſiliis conſtanter, id benemeritis ſuis impetravit haud difficulter, ut Cæſaris interventu Pontifici placuerit Archiepiſcopus, cujus difficile munus ea methodo obiit, ut à quo reprehenſus ſit, non invenias, à quo laudatus fuerit, etiam hodie nullo labore reperias. Ad amuſſim verò ut fierent omnia à ſubjectis Richolpho Epiſcopis & Sacerdotibus, nec deeſſe paſſus eſt monita, nec præcepta Eccleſiæ Romanæ authoritate præmunita: unde ex Hiſpania Moguntiam uſque transferri curavit Canones Pontificios Iſidori Mercatoris operâ eleganti ordine donatos. Quò magìs verò conſtaret omnibus ritè de Eccleſiæ legibus, an. 813. Moguntiæ Synodum celebravit, & alteri Synodo Wormatiæ celebratæ interfuit. Circa eadem tempora DD. Aurei & Juſtinæ ſacras reliquias populo viſendas & honorandas propoſuit, ſimúlque D. Albani honoribus dicatum templum magnificentiſſimè extruxit: dein verò quocum conſilia vivus conferebat, cum eodem Imperatore mortis ſententiam ſuſtinuit an. 814. cum Carolo M. mortuus poſt annos Sed. 27.

SECULUM XI.

IV. AISTVLPHVS.

AIſtulphus B. Lulli diſcipulus, in qualem quantúmque denique Magiſtrum evaſerit, multorum loco ſit teſtis Rabanus, fortè etiam Aiſtulphi diſcipulus doctiſsimus, & in Sede Mo-

guntina successor dignissimus, qui librum de Institutione Clericorum præter libros alios plurimos, scitissimè conscriptum, cùm Aistulphi consecraret honoribus, hæc libro præfigere verba non dubitavit, instar prototypi posteris relicta: *Te, Sancte Pater, pro merito summæ pietatis plurimi venerantur, & omnibus fidelibus, causa magnæ fidei & sanæ doctrinæ, honorabilis atque amabilis existis. Te benignissimum atque æquissimum esse scio*, &c. his addidit epitaphium hoc maximè modo scriptum:

Præsulis Haistulphi sita sunt hoc membra sepulchro,
Pontificale sacrum qui bene gessit onus.
Bis senis urbem hanc Pastor qui rexerat annis,
Dogma & Apostolicum protulit ore sacro.
Justitiæ Custos, rectus, patiensque, benignus,
Fidus in eloquiis & pietate placens.
Lulli discipulus, Successor ritè Richolphi,
Ambobus meritis, non minor iste fuit.
Quis te sancte Pater cum Christo nesciat esse,
Splendida quem tecum vita fuisse probat.

Sedit an. 12. sub Stephano V. & Paschali I. Pont. an. 826. mort.

V. OTGARIUS.

OTgarius, aliis Odogarius appellatus, Wione teste nobili loco in Germania natus, & D. Benedicti Regulâ instructus, Principi Monasterio Campidunensi Antistes præfuit omnium primus, haud dubiè D. Hildegardi Augustæ gratissimus. His tamen dictis multùm refragantur Serarius, Bruschius & authores alij, Otgarium hunc nostrum à priori fuisse loco & tempore diversum longè, testati. Archipræsul verò hic noster eorundem authorum testimonio D. Ansgarium unà cum aliis inunxit Episcopum. Danorum Regi Haraldo affudit salutares Baptismatis undas, & Ludovico Pio Cæsari animam agenti adstitit. Obortis dein inter Ludovici filios litibus denuo & bellis gravissimis, nolens volens in Lotharij denique partes consensit, nec seriò refragatus Ludovico

dovico, nec Carolo: unde effatum poeticum à Nidhardo Angelberto relictum ita habet:

Scilicet arma minùs, quàm Sacra Otgarie noras.

Concilium an. 834. præsentibus Archiepiscopis Trevirensi & Coloniensi unà cum Suffraganeis celebravit. In Italiam annis Archiepiscopatus sui ultimis, ut lites regias Pontificis authoritate juvaret componere, profectus, D. Severi reliquias Ticinô in Germaniam secum retulit, postquam Moguntiam illustravit annis 22. sub Pontificibus Paschale I. Eugenio II. Valentino & Gregorio IV. quin & Sergio II. an. 847. vitâ defunctus.

VI. RABANVS.

RAbanus Magnentius Maurus Fuldæ in Hassia natus, educatus, optimis moribus & literis in monasterio antiquissimo juxtà ac celeberrimo imbutus, ibidémque supremus artium ac scientiarum Magister, Rector & demum etiam Princeps Abbas jure optimo electus, ornamentum suo præsertim seculo fuit Ecclesiæ & Imperij maximum. Nemo nimirum Imperatori Ludovico Pio & hujus filiis pretiosior erat Rabano, qui ea moderatione animi inter publica dissidia se noverat gerere, ut tametsi literis solaretur Augustum parentem variis, Augusti tamen filij suas partes offendi haud fuerint conquesti, non minùs epistolis & foliis palàm in lucem editis instructi & animati, ut genitori cederent filij, & Imperatori promptam exhiberent obedientiam subditi universi. Annis & meritis jam gravi, communi omnium Canonicorum & populi applausu oblatum est pedum Moguntinum, ea nimirum Præsulis ætate, qua baculo senectus ipsius opus habebat & Respublica novo Scipione. Ut verò solitudinis amantissimus Antistes tantum onus in se susciperet, necesse fuit, ut Pontifex, Imperator & vox populi id ipsum consiliis suaderent, & precibus urgerent. Tot igitur vocatus suffragiis venit, & 9. annorum compendio plu-

ra egit, quàm agere solent multi alij plurimorum annorum longo spatio: habito namque Moguntiæ Concilio Godeschalcum condemnavit cum sectatoribus, simúlque Moguntinam cum Ecclesiis præsertim Germanis omnibus doctrinâ & morum emendatione illustravit, haud ipse gravatus senex ad concionem dicere, in urbes, oppida & villas Apostoli instar excurrere, atque in subjectorum sibi antistitum simúlque parochorum vitam sedulò inquirere: quæ omnia eò magis sunt admiranda, quòd simul ingentem librorum copiam ingenij sui partum fœcundissimi posteritati potuerit relinquere; quæ aliáq; multa cum partim à Wione & Trithemio, partim à C. Bellarmino, Sigeberto, Brovvero aliísqne multis authoribus copiosè fuerint descripta, ego pluribus hìc referre nolui. Brevitatis causâ id solùm silentio haud prætereundum duxi: grassante pestilentiæ & famis publicæ malo Rabanus diebus singulis pro tribus pauperum millibus alimenta subministravit, non annumeratis iis mendicabulis, quæ domi alere non est gravatus, jure *Pauperum Pater* dictus. Multis vixisse annis ex eo colliget Lector, quòd an. 810. jam Rector Fuldæ promulgatus, an. 822. Abbas electus, & demum Archiepiscopus creatus sit, mortuis annumeratus an. 859.

VII. CAROLVS.

ABsit procul à nobus, ut vitam damnemus Monasticam, quam aulis regiis præhabuerunt Imperatores & Reges, & Regum filij, terrestres Dij. Carolus Pipini Aquitaniæ Regis filius, Ludovici Pij Imperatoris nepos, relictis aulæ deliciis, Corbejense monasterium ad Visurgim situm petiit, in quo tantùm profecit, ut virtutibus longè excellentior, quàm genere clarior, promeritus sit inter Archiepiscopos Ecclesiæ Germanicæ primus honorari & celebrari. Hoc in celsissimo munere quanti æstimare perrexerit Monachorum Regulam, ex eo collegêre etiam gnavi rerum observatores, quòd Caroli Archipræsulis hortatu aut consilio persuasus Imperator

perator Lotharius, Imperij fasces reliquerit, Augusto pede Prumiense cœnobium ingressus, dato posteris documento, satiùs esse obedire, quàm imperare. Hujus Archipræsulis laudes eximias commendârunt etiam epistolæ non paucæ Pontificiæ, quibus Pontifex D. Nicolaus cognomento Magnus eundem animavit, ut Ecclesiæ & Imperio pro viribus prodesse pergeres; quò minùs tamen pergere potuerit, impediit mors coronis & mitris major post annum Sed 7. Leg. *Gratianum*, *Wionem*, *Cochlæum*, *Serar.*

VIII. LINDBERTUS.

LIndbertus à variis authoribus vario scriptus nomine, id ab universis & singulis obtinuit encomium singulare, ut à nemine reprehensus, ab omnibus laudatus fuerit multis modis. Et sanè difficillimum fuit laudem mereri hominum ferè omnium eo tempore, quo in partes divisi nepotes Ludovici Imperatoris inter sese pugnârunt, & Lotharius Austrasiæ Rex repudiata conjuge Theutberta, Walradam obmurmurante Germaniâ ferè universâ, Italiâ & Galliâ, thalami consortem deperibat. In multiplici eóque difficili rerum articulo opus fuit Lindberti arte & consilio, melle & felle, vino & absinthio, ac tandem gladio & fulmine, ut Supremi Pontificis sententiâ resecarentur ab Ecclesiæ corpore membra pertinaci lue infecta Rex Lotharius & adulatores duo etiam Archiepiscopi cum appendice, ùt fit, longissima. Hinc coactum est Concilium Suessionense, in quo Lindbertus contra Regem, Trevirensem simul & Coloniensem Archiepiscopum dixit mentem suam, ac demum Pontificis nomine anathemate armatam sententiam, in utriusque sedem vocatis Archiepiscopis novis. Virtutem constantiæ tum maximi fieri meritò, nôrunt universi, cùm instar auri igne, hoc est difficultatibus examinatur maximis. Ita profectò Archipræsulis Moguntini opera instar probati auri examinârunt & laudârunt tempora difficillima, nec latum

un-

guem à ſuo propoſito hunc Archipræſulem dimoventia. Argumento probatiſſimæ virtutis erat etiam Carolus Craſſus poſtea Imperator, cùm juvenis adhuc à dæmone arreptus triſtiſſimum in modum eſt divexatus, nec alio adversùs orci mala adhibito remedio, quàm ſolius Lindberti precibus liberatus. Idem Carolus ſucceſſu temporis ob varia rerum capita, communi totius Imperij calculo exauthoratus, inter homines ferè neminem, niſi ſolum Lindbertum habuit ſolatorem reliquum, qui plenus meritis an. 889. diem obiît ſuum publica populi voce inter Beatos jam tum relatus. Sedit Moguntiæ annis 26. ſub Pontificibus ſex, nimirum Nicolao I. Hadriano II. Joanne VIII. Mariano I. Hadriano III. & Stephano VI. *Vide Reginonem*, *Annales Pithœanos*, &c.

IX. SVNDEROLDVS.

SUnderoldus ex Principe Monaſterio Fuldenſi in Moguntiæ Eccleſiam evocatus, trium annorum compendio abſolvit partem vitæ reliquam: Normannis enim barbaris in Germaniam irrumpentibus, & ad Moſam fluvium maximè clades inferentibus, cecidit inter Chriſtianos Duces Dux ipſe & gregarius miles Archiepiſcopus, qui accenſus zelo Apoſtolico pro re Orthodoxa pugnavit, more Martyrum occiſus ac hoſtibus Chriſto infenſiſſimis: Unde inter Martyres Archipræſulem hunc à literis & virtutibus laudatiſſimum apertè numerârunt *Sigebertus & Trithemius.*

X. HATTO I.

HAtto aliis *Otto* dictus, obſcuro genere (*an in Suevia, an alibi, incertum*) natus, naturæ tamen dotibus clariſsimis inſtructus, in *Augia divite & Monaſterio Elvacenſi Præſul*, multis præclaris inclaruit facinoribus, reprehenſus ob id demum maximè, quòd claram nominis ſui ſuorúmque famam ſolis aut ſyderis inſtar fulgen-

gentem iniquiſſimo facinore veluti denſiſſima nube aut eclypſi obſcuraverit. Rei ſeriem pictores depinxerunt & authores deſcripſerunt *Marianus Scotus*, *Lambertus & Otto Friſingenſis*, cujus ultimi verba referre lubet, ne quid demptum, aut additum videatur à novo calamo. *Circa annum* 907. *Albertus nobiliſſimus Francorum Comes, Ottonis Saxonum Ducis ex filia nepos Conradum, qui à quibusdam Ludovici Regis frater fuiſſe creditur, occidit. Ob ea Rex prædictum Heroa in caſtro Babenberg, ubi nunc nobilis Epiſcopatus cernitur fundatus, bello petiit. Cùmque viribus ſe proficere poſſe non videret, Hattonis Moguntini Archiepiſcopi conſilio ad dolum ſe contulit. Itaque ut non ſolùm in Regum geſtis invenitur, ſed etiam in vulgari traditione in compitis & curiis hactenus auditur, præfatus Hatto Albertum in caſtro ſuo Babenberg adiit, eumque DEI pietatis obtentu, de gratia Regis adipiſcenda convenit. Ille devotè monitis ejus obtemperans, humiliter conductum de perſonæ propriæ incolumitate petiit. At ne multis morer, interpoſitæ Sacerdotis præfati fide iter carpunt. Vix caſtro exierant, jam proximè vico, qui Theurſtatt dicitur, appropinquabant, & Epiſcopus, grave, inquit, erit nobis jejunium ſuſtinere: ſi placet, antequam Regi præſentemur, ad prandium divertamus. Tum ille, ſimplices aures more antiquorum habens, dolúmque minimè præſentiens, gratanter eum ad prandendum in caſtro, unde digreſſi fuerant, reduxit. At poſtquam refecti ſunt, ad curiam veniunt: in cauſa Princeps ponitur, ac tanquam reus Majeſtatis, capite plectendus adjudicatur. Monet ille Epiſcopum de fide data; quam è contra ille ſe bene in hoc, quòd ſanum & incolumem eum in caſtrum reduxerit, ſervâſſe reſpondit. Sic præfatus Albertus capite plectitur poſſeſſionésque ejus, è quibus poſtmodum Babenbergenſis Eccleſia locupletata dicitur, in fiſcum redactæ ſunt. Judicent de hoc ſacerdotis facto alij (nimirum excuſant varij variè) quod velint & tanquam pro regni utilitate commiſſum tueantur: ego omnino nullius emolumenti gratiâ non ſolùm quemlibet Chriſtianum fraude circumvenire, ſed etiam in corde in cauſa capitali loqui non debuiſſe arbitror Epiſcopum.* De mortis genere poſt varias omnino Hiſtoricorum relationes hodie non ſatis conſtat: ſunt enim qui fulmine percuſſum, alij in prælio cæſum, alij demum mœrore confectum dicunt. Annis 21. veriùs inſtar militis egiſſe, quàm Epiſcoporum more vixiſſe dicunt, dum ſederunt Pontifices Formoſus, Stephanus XII. Romanus, Theodorus II. Joannes IX. Benedictus IV. Leo V. & Sergius III.

SECULUM X.

XI. HERIGERUS.

HErigerus ex Fuldensi Ecclesia in Moguntinam translatus, Pij Episcopi nomen insigne eximiis suis virtutibus obtinuit, Henrico Aucupi Imperatori constanter acceptissimus. Virtutibus probè instructum fuisse, finis demum, rerum laude dignissimarum corona, monstravit: postquam enim an. 12. Archipræsul pastorale pedum gessisset, id successori consignavit, ut annos vitæ reliquos morti felicissimæ consecraret. An. 930. sepultus multa posteris de se encomia reliquit, quæ tamen tantillo compendio hodie constringere jubet rerum plurimarum ignoratio.

XII. HILDEBERTUS.

HIldebertus natione Francus Orientalis in Fuldensi Monasterio Præsul primò electus, & mox à Moguntia Archipræsul postulatus, permultos nactus est laudatores suis libris hodie etiam clarissimos. Multis profectò laudibus Hildebertum prosecuti sunt *Trithemius, Witikindus, Otto Frisingensis, Serarius aliique*, quorum calamo teste Superi virtutes Hildeberti prophetiæ dono ampliùs illustrârunt. Magni proinde jure æquissimo æstimârunt Moguntiæ Antistitem Otto' M. & Archipræsules Trevirensis ac Coloniensis, inter quos ortam de corona Regi imponenda litem authoritate ac prudentiâ facilè discussit Hildebertus, qui an. 936. Aquisgrani coronavit Ottonem I. Imperatorem. De anno obitûs haud convenêre Scriptores, dum alij annum seculi X. 36. alij 38. alij demum 39. expresserunt: sedit itaque circiter an. 12. sub Pontificibus Joanne X. Leone VI. Stephano VIII. Joanne XI. obscuris sanè temporibus.

XIII. FRIDERICUS.

FRidericus Lotharingiæ Dux Giſelberti Ducis frater non minùs, quàm Anteceſſores Archipræſules ex Fuldenſi Epiſcoporum multorum ſeminario fertiliſſimo evocatus, ſuis præclaris facinoribus Moguntinum ſolium exornavit, hoc uno ferè ex capite à multis reprehenſus, ab aliis nequaquam inventus reus, quòd Ottonis Imperatoris & affinis ſui partes, cujus tamen beneficio Moguntiæ Præſul electus fuiſſet, unà cum aliis Viris Principibus oppugnâſſet, præſertim cum Briſaci per magnam anni partem præſidiarios inter milites ſediſſet, animô Cæſari vim inferendi. Fridericum hunc nempe adversùs Imperatorem irritavit primò Giſelbertus frater, Ottonis M. ſororius, Gerbertæ Henrici Aucupis filiæ conjux, qui Rheni fluctibus an. 939. hauſtus, ingentem animi mœrorem fratri Archipræſuli reliquit. Inde ſimultatem in Archiepiſcopi animo fovebant Henricus, frater Imperatoris, Bojorum Dux, cui conſilia & auxilia junxit Ludolphus filius Suevorum Dux, ſecundas Auguſti genitoris cum Adelhaide nuptias deteſtatus. Imperator itaque, fortaſſis haud immeritò, etiam Friderico iratus maximè, hunc Moguntiâ Fuldam redire compulit, & ſedi priſtinæ reſtitui curavit teſte *Rheginone*, *Rotgero*, *Trithemio*, *Serario.* Annis ſedit 15.

XIV. GUILIELMUS.

GUilielmus Ottonis M. filius an. ætatis ſuæ 24. in Moguntiæ Antiſtitem annitente plurimùm Auguſto genitore, & annuente Pontifice electus, à S. Brunone Colonienſi Archipræſule patruo fuit conſecratus. Annis dein tribus elapſis Ludolphum in Italia defunctum luxit, & hujus exuvias in Germaniam relatas, in D. Albani templo ſepelivit. Fratrem alterum Ottonem ex Adelhaide noverca natum, & an. 961. in Imperij Regem electum, atque à magno parente ſibi creditum, Wilhel-

helmus virtutibus exornavit, ipſe virtutibus multis maximè illuſtris, & conſpicuus omnibus que chariſſimus. Virtutes profectò eximias ſuſpexerunt in Wilhemo etiam Adelbertus & Dithmarus, quos ambos conſecravit Epiſcopos, & horum priorem Ruſſis miſit Apoſtolum, poſteriorem verò Bohemis, aut utriſque. Multis dein lacrymis proſecutus eſt ad tumulum uſque populus copioſiſſimus Wilhelmum annorum 37. ùt ajebant, *Iuvenem*, cui D. Mathildis Auguſta avia adſtanti ſibi prædixit fata ultima, & mox abſentis intellexit an. 967. eodem menſe etiam ipſa mortua, ingenti Ottonis M. mœrore, ſimul & matrem & filium lugentis. Annis ſedit 13. *Rhegino*, *Rotgerus*, *Serarius*.

XV. HATTO III.

HAtto III. Hademarij Præſulis Fuldenſis nepos, avunculo ſuo vitâ functo ſucceſſit in officio, par eidem, ùt ajebant, in virtutibus. Ab Ottone M. etiam permagni æſtimatus, & conſiliis adhibitus, inter eos fuit, qui Cæſarem Romam petentem præcucurrerunt nuntij. Romam veniſſe & vidiſſe profuit plurimùm Hattoni: Imperator enim audita Moguntini Archipræſulis morte, cùm ſucceſſorem alium, quàm Hattonem non exoptaret, ad vota paratiſſimum habuit Joannem XIII. Pontificem, qui pallium conceſſit. At verò non niſi tribus aut duobus Moguntiæ ſolium occupavit an. 970. jam extinctus fato admodum triſti, ſi habenda ſit fides Heterodoxis Scriptoribus, qui à prodigioſo murium agmine conſumptum eſſe finxerunt, quòd multorum pauperum catervam famis tempore ſibi oppidò moleſtam horreo ſuo includi, & tyrannorum more Vulcano immolari juſſerit. *Vide hac ſuper re Serarium*, cui libuit multis aperire mentem ſuam & dicere ſententiam. Nos verò compendio contenti dicamus: *Si contigit Hattoni ita mori, Deus ſcelerum vindex oſtendit ſignum, quo abſterriti divites amore proſequerentur deinceps pauperes. Quid tum poſtea? quid lucri inde haurient vel Scriptores, vel Lectores Heterodoxi? profectò nihil capio, nihil video, niſi argumentum etiam Heterodoxis relictum, ut nimirum & ipſi credant, iſtis etiam ſeculis patrata eſſe miracula*

racula nunc miserentis, nunc punientis Dei testimonia. Lucrum capiant Herodoxi alterum, quo discant deinceps crederi miraculis, at non tantùm sibi, sed & mihi faventibus.

XVI. RUPERTUS.

RUpertus Hattonis successor, cujus originis aut stemmatis foret, inquisiverunt cum Serario authores varij; aliud tamen non invenerunt, quàm obscura & dubia omnia, inter quæ numerandi sunt etiam anni sedis, quorum alij 4. alij 7. computârunt. An. 977. diem obiisse suum verior habet opinio, dum nimirum Romæ sedit Benedictus VII.

PERIODUS III.

DE ARCHIEPISCOPIS SIMVLQVE ELECTORIBUS MOGUNTINIS.

XVII. WILLIGISIVS. ELECTOR I.

WIlligisius Stromingæ in Saxonia seculo X. circa annum 40. ex parentibus tenuis fortunæ natus, literarum studiis & morum probitate, quæ sæpe pauperibus ad ardua viam sternunt, eò sensim ascendit, ut ex Parocho aulæ Imperatoriæ Archisacellanus, ùt vocant, & Ottoni III. à teneris annis supremus moderator constitutus, ob insignia sua merita sit denique promotus in geminum Moguntiæ thronum, an. 977. electus Archipræsul & an. 998. Imperij Elector primus, ita disponente Gregorio V. Pontifice & Ottone III. Cæsare, quòd hic hærede se destitutum, & Imperium ex hæredum defectu prioribus seculis fuisse turbatum probè intelligeret, & admodum doleret. Antequam verò hunc ultimum dignitatis apicem conscendit, D. Bervvardum Hildesiæ consecravit Episcopum, & paulò pòst S. Adelbertum Pragensem Archiepiscopum. Monasterio Hersfeldensi Præsulem dedit Gothardum: sorores verò Augustas Ottonis III. Sophiam & Adelhai-

dem in Parthenone Gandershemienſi & Quedlinburgenſi ſacro velamine exornavit. Multa eidem neceſsitudo fuit cum D. Burchardo Wormatienſi Epiſcopo, Conradi Imperatoris II. præceptore quondam celeberrimo, qui Willigiſium ſuum dixit parentem & magiſtrum. Quantùm hic ipſe multorum Magiſter & Doctor, nec non ædificiorum ſacrorum conditor vel reſtaurator profuerit ſacris ædibus & monaſteriis, recenſere nimis prolixum foret. Manſuetudo Willigiſij & animi demiſsio quanta fuerit, duo duntaxat hoc loco ex multis prodant capita. Cùm aſſentatores verborum lenociniis inſtarent, clam & palam ſibi occinebat Elector: *Willigis, Willigis, recole unde veneris*, quo dicto obſcuros ſuos ſibi natales & memori menti & oculis propoſuit: unde inſignibus etiam ſuis rotam inſeri præcepit, poſteritati dicturus, Willigiſij Electoris Moguntini parentem in tribu fabrorum lignariorum numeratum fuiſſe, qui conficiendis rotis dediſſet operam. Rerum caput alterum erat: D. Bervvardus præſente D. Imperatore Henrico II. jura ſua ab Electore Moguntino violari conqueſtus, tantum à Willigiſio impetravit, ut hic admiſsi erroris veniam palam precatus, omnem deinceps favorem & amorem promiſerit, & promiſſum ſervârit Bervvardo: unde lætiſsimus D. Henricus, nupèr electus Imperator, Willigiſij manibus coronam Imperij ſibi imponi tantò lubentiùs admiſit, quantò majorem animi demiſsionem & æquitatem hoc in Antiſtite deprehendit, qui Eccleſiam ſuam annis 34. illuſtravit ſub octo Pontificibus, nimirum Benedicto VII. Joanne XIV. Joanne XV. Gregorio V. Sylveſtro II. Joan. XVI. Sergio IV.

SECULUM XI.

XVIII. ERCKEMBALDUS. ELECTOR II.

ERckembaldus Comes Summerſenburgicus ſanguinis propinquitate junctus erat D. Bervvardo Hildeſienſi Epiſcopo, à quo

à quo inunctus & consecratus est Moguntiæ Archipræsul. In sede sua à Pontifice Sergio IV. confirmatus, monasterium extra Moguntiæ moenia extruxit à S. Cruce hodie nuncupatum. Dedicationi principis templi Bambergæ præsentibus Pontifice Benedicto VIII. & Henrico Cæsare adfuit unà cum aliis 71. Episcopis. Inter beneficia à Cæsare impetrata venit illud, quo populationibus Comitis Ottonis ob illicitas nuptias sacro fulmine percussi, Henrici Cæsaris authoritate facilè est liberatus. Ecclesiæ suæ præfuit annis 9. sub prædictis duobus Pontificibus.

XIX. ARIBO. ELECTOR III.

ARibo natus comes Palatinus doctrinâ sacrâ sumul & profanâ instructissimus, epistolis omnino variis diversos ad illustrandam eruditionem viros invitavit. Inter monumenta Aribonis clarissima jure celebratur liber in psalmos ab eodem elaboratus. Synodum unam Seligenstadij, alteram Moguntiæ, tertiam Francofurti instituit, quarum ultimæ 23. Episcopi interfuerunt, præsente Conrado II. Imperatore. Decreta saluberrima iisdem Synodis sunt firmata, præsertim verò, quæ jejunium vernum & quatuor temporum, à Germanorum plurimis neglectum, spectabant, & hodie supersunt. Modestiam ac prudentiam Archipræsulis singularem ex eo collegerunt æqui rerum Arbitri. Dum nimirum litem inter Willigisium & D. Bervvardum jam finitam Aribo denuo suscitavit, ea re grave negotium & fastidium facessivit D. Gothardi monasterio. At demum causâ penitiùs discussâ, errorem suum publicè detestatus, veniam rogavit, veniâ donans ipse quosvis suos adversarios. Annis 11. decoravit Moguntinam Ecclesiam; annorum ultimo die D. Conrado sacra Paderbornæ præsente Cæsare dixit ad concionem, ubi pariter Romam petendi copiam Imperatorem rogavit, & simul omnium suffragia imploravit, ut errores suos salutari poenitentia inter vivos posset eluere. Eluisse

verò

verò Aribonum ſuas qualeſcunque labes cenſuit ipſe Pontifex Joannes XVIII. an. 1031. quo Aribonem brevì fatis conceſſurum ex Italia in Germaniam remiſit, ut corpus morbis confectum Germanica tellus reciperet, animam verò virtutibus pretioſam Cœlum ſuſciperet.

XX. D. BARDO. ELECTOR IV.

D. Bardo ex perilluſtri Wetteraviæ familia natus, atque in Haſſiæ monaſterio Hirsfeldenſi Abbas electus, pedo minore præluſit longæ majori, quod dedit Moguntia longè digniſſimo. Moguntiam ubi pervenit, nihil antiquius habuit, quàm ut ædem à Wiligiſio cœptam, & D. Martini honoribus conſecrandum, daret abſolutam. quod utrumque venit præſente Conrado Cæſare & XVII. Epiſcopis. Inunxit idem deinde Moguntiæ Achipræſul Henrici III. poſt Conradum II. Imperatoris conjugem alteram Agnetem Pictavienſem, & Ingelhemij Auguſtis adſtitit nuptiis. Propter eloquentiam ſacram, qua in templis & apertis campis ad confertiſſimum auditorem in viam virtutis reducendum maximopere uſus eſt, D. Præſuli Chryſoſtomo fuit comparatus paríque nomine cum eodem appellatus. An. 1051. ſedes 20. cum die Pentecoſtes ſacra Paderbornæ ingentem populi multitudinem, audiente etiam Cæſare Henrico, ad divini Pnevmatis honorem augendum fuiſſet hortatus, mortem ſibi brevì adfuturam prædixit vates, oracula dictante eodem divino Spiritu, cujus beneficio D. Bardoni conceſſa eſſe alia dona maxima monſtravit D. Anno Colonienſis Elector, qui hominem membris omnibus captum, Moguntiæ ad tumulum S. Bardonis in pedes erexit teſtimonio totius populi publico. Sedet ſub Pontificibus Benedicto IX. Gregorio VI. Clemente II. Damaſo II. & Leone IX.

XXI. LEOPOLDUS II. ELECTOR V.

LEopoldus aliis Luipoldus dictus, inter Fuldenſes & Bambergenſes aut Canonicus, aut Abbas celeberrimus celebrari

ri ampliùs Moguntiæ eſt promeritus. Quampiam ejusdem notitiam nobis reliquerunt D. Leo Pontifex & Henricus III. Imperator: Wormatiæ enim coram Leone IX. ritu ſolenniſſimo ad aram fecit primus poſt Pontificem Sacerdos. Anno dein 1054. cùm in Romanorum Regem inauguratus fuiſſet Aquisgrani, Henricus IV. Auguſti filius, idq; ſingulare honoris munus Hermanno Coloniæ Archipræſuli committi Imperator cuperet, nata eſt exinde anſa diuturnis inter utrumque Archipræſulem litibus. Cæterùm inter Luitpoldi monumenta permagni æſtimatum eſt monaſterium in monte venuſto Moguntiam propè poſitum, & D. Benedicti filiis ab eodem conceſſum. Annis ſedit 8. ſub Pontificibus Leone IX. Victore II. & Stephano X.

XXII. SIGFRIDUS. ELECTOR VI.

O felicem Germanam Eccleſiam, quæ, dum pene jam concidit in ruinas Imperium, tamen ſtetit firmiſſima, non cedentibus, non cadentibus Germanis Epiſcopis. Sigfridus ex illuſtri Eppenſteiniorum ſtemmate oriundus, in principe Fuldenſium Cœnobio optimè formatus literis & moribus, primò Fuldæ Præſul, inde Moguntiæ Archipræſul, & Elector Imperij, periodonea virtutibus ſuis multis nactus eſt tempora per annos 24. non niſi Superûm ſingulari beneficio conſervatus Antiſtes conſtantiſſimus. Anno Archiepiſcopatûs ſui 4. Palæſtinam adire, & quasvis tanti itineris moleſtias ac pericula ſubire non dubitavit. Comites tanto Duci acceſſerunt Epiſcopi complures, Güntherus nimirum Bambergenſis, Otto Ratisbonenſis, & Wilhelmus Ultrajectenſis cum Præſulibus minoris notæ pluribus. Teſte Mariano Scoto univerſorum capitum numerus ſeptem implevit millia, quorum quinque partim viæ longioris difficultatibus, partim barbarorum prædæ inhiantium inſidiis & apertis vulneribus ſuccumbuerunt. Reverſus verò ad oves ſuas Sigfridus, lupum invenit Henricum IV. Cæſarem, qui dum Bertham Marchionis Itali filiam, conjugem ſu-

am legitimam cœpit reſpuere, multorum malorum prodromum egit, Sigfrido conſtanter meliora ſuadente, & tandem Pontificis nomine pro Republica Chriſtiana imperante. Difficultati jam multiplici an. 1070. acceſſit illa non minima, qua literis Româ datis juſſus eſt Moguntiæ Antiſtes pœnis Simoniæ crimini jam ſtatutis excipere Carolum Conſtantiæ Epiſcopum, inter Simoniacos Romæ, & inde an. 1071. Moguntiæ condemnatum. Anno huic proximo prætextu ſacræ peregrinationis profectus in Galliam, in Cluniacenſi monaſterio inter Novitios adſcribi petiit; cui propoſito ne diutiùs inhæreret, ab univerſo ſubdito populo cruentis propemodum lacrymis repetitus, communi denique omnium ceſſit calculo & ſuſpiriis, ut privatum commodum poſtponeret Reipublicæ damnis eo tempore graviſſimis, quæ nec tollere, nec impedire penitus cum ſociis Epiſcopis & Viris Principibus ſat ſeriò nec ſerò volebat, deniqne tamen non valebat. Ea nimirum Eccleſiæ & Imperij tempeſtate turbatiſſima à Gregorio VII. Pontifice, & potiſſimorum in Imperio Principum parte, Henrico Cæſari in ſupremo ſolio ſubrogatus eſt Rudolphus, Comes Rheinfeldenſis dictus, Imperatoris affinis, cujus partes ut nunquam non fortiſſimè deinceps propugnaret, Sigfridus ipſe Rudolphi commilitones ad pugnam ſtrenuè capeſſendam eſt hortatus, ſed & captum in prælio, captivum in furcam, aut vicinam arborem agere jamjam parantes milites ſuperveniens abſterruit Henricus, ſervaturus Sigfridum annos 4. in cuſtodia cum Adelberto Wormatienſi Epiſcopo, poſtquam lethali vulnere proſtratus cecidit Wernerus Archiepiſcopus Magdeburgicus. Tandem anno 1082. libertati reſtitutus, ut curas effugeret publicas, mortis certa victima biennium vitæ reliquum in monaſterio Haſungenſi tranſegit, ab omni culpa haudquaquam etiam ipſe immunis, quam inter publicas Eccleſiæ & Imperij difficultates ſummas non niſi virtute magni, imò maximi evitare conſueverunt. Sederunt Romæ Nicolaus II. Alexander II. Gregorius VII.

XXIII.

XXIII. WEZILO. ELECTOR VII.

WEzilo Sigfridi Successor ubi natus, aut educatus, & summis muneribus sese reddiderit idoneum, non meminerunt Historici, contenti memorâsse solùm, quòd ab exordio dignitatis suæ Henrico IV. & Pseudopontifici Clementi veriùs pertinaciter, quàm constanter animum suum devoverit, Gebhardo Salisburgensi Archipræsule & Episcopis ferè universis in Concilio Moguntino refragantibus, & DEum rectè factorum remuneratorem scelerúmque vindicem testantibus. Torrenti demum cedendum ratus pro Pontifice contra Cæsarem ferre suffragia, & dicere sententias cœpit: unde damnato errore suo Archipræsul & Elector Imperij intentata & inflicta ab Henrico vulnera magno tulit animo, ut disceret pati & mori: mortuus namque est, postquam an. 4. potiùs sedere desideravit, quàm sedit sub Gregorio VII. & Victore III.

SECULUM XII.

XXIV. RUTHARDUS. ELECTOR VIII.

RUthardus ex Erfurdiæ ad D. Petrum Abbate electus Moguntiæ Elector, statim in Archiepiscopatus sui oxordio refragari pro viribus Henrico IV. cònstituit, contempto quovis corporis & fluxarum rerum periculo. Atque conceptam animo constantiam non magìs verbo, quàm opere exhibuit: ab Henrico enim sede Moguntina in Thuringiam exul pulsus, annis ferè 9. in castello Hartesbergensi gravem rerum inopiam pertulit, proventus interea Moguntinos rapiente Henrico proscripto Cæsare. Tandem an. 1105. Henrici V. contra patrem pro Ecclesia & Imperio pugnantis potestate unà cum Episcopis aliis restitutus Ruthardus, anno proximo Ingelhemij Henricum genitorem insignibus Imperij exuit, ut filium iisdem indueret, gratulante Germania

univerſa. Pontifice dein Paſchale II. Gallias petente, & concilium Trecis celebrante, cùm non comparuiſſet Ruthardus, ab officio ſuo ut tantiſper abſtineret juſſus, lireras ſingularis demiſſionis, prudentiæ & obedientiæ teſtes ad Pontificem dedit, quibus ſenectutem & ſiniſtram corporis valetudinem, atque vicinam mortem non ſuſcepti in ſe itineris teſtimonia attulit, & veniam facilè impetravit, digniſſimus divinis præmiis Antiſtes, qui contempſit humana. Mortuus eſt an. 1109. ſedis 22. quo tempore ſederunt Victor III. Urbanus II. & Paſchalis II.

XXV. ADELBERTUS I. ELECTOR IX.

Adelbertus I. aliis Albertus, ex virorum Principum proſapia natus, Henrico V. Cæſari à conſiliis fuit arcaniſſimis, & ferè unus maximi æſtimatus, cùm urgerent res ſummi momenti Imperatorem: quare hujus potiſſimum auxiliis in Moguntiæ ſedem evectus, egit & tulit fortiter plurima amicus Cæſaris usque ad aram: Henricus enim V. cùm parentis exemplo in Eccleſiæ jura aditum ſibi negatum animo ferret ægerrimo, & ferro vim jam minitaretur, quin vim jam inferret, Adelbertus conſtantiſſimè ſtetit pro Pontifice contra Cæſarem. Verùm ob hoc ipſum in furias acto Henrico in cuſtodiam datus, triennio toto ferè ad necem uſque eſt fame maceratus. Qualis quantúsque Adelbertus fuerit, ex civium Moguntinorum fide licuit etiam metiri; cùm enim Imperator an. 1112. Moguntiæ aliquamdiu commoratus fuiſſet, ab ejusdem urbis confertis iisque armatis civibus tanto tempore & conſtantiâ eſt obſeſſus, ut niſi Archipræſulem ſuis reſtituiſſet Cæſar, ſeditionem publicam experturus quamprimum fuiſſet. Conciliato demum Imperatore cum Romano Pontifice Calixto II. rediit equidem Adelbertus in gratiam Henrici, ut nihilominus procul à Jove minùs timenda prævideret & vitaret fulmina, Aſchaffenburgum ædificavit futurum ſibi ſuiſque aſylum; cives verò Moguntiæ

tiæ ob fidem ſibi conſtanter præſtitam privilegiis variis donavit, Princeps civium amantiſſimus, & Paſtor ovium vigilantiſſimus per annos ſedis 28. ſub Pontificibus Paſchale II. Gelaſio II. Calixto II. Honorio II. & Innocentio II.

XXVI. ADELBERTVS II. ELECTOR X.

ADelbertus II. Adelberti I. ex fratre nepos, patrui potiſſimùm meritis adſcripſit haud immeritò ſui in Archipræſulem Moguntiæ electionem. Ab Innocentio II. Romam evocatus venit hoſpes Italis perquam gratus. Conrado III. Cæſari modico tempore contrarius, tantùm deinde placuit, ut Adelberti conſiliis perſuaſus Palæſtinam cum exercitu petere decreverit; quam expeditionem dum adornare pro viribus cœpit, conatus mors omnes eluſit, rapiens annorum 3. Archipræſulem, ſedente etiam tum & dolente mortem Adelberti Innocentio II. Pont.

XXVIII. MARCOLPHUS. ELECTOR XI.

MArcolphus Aſchaffenburgenſis Eccleſiæ Præpoſitus meritis ſuis id conſecutus eſt, ut in Moguntiæ ſolium evocatus tutò ſedere potuiſſet, niſi mors quamprimum feciſſet periculum, quæ nimirum citiùs præcipitavit in tumulum Marcolphum, quàm Româ miſſum impetravit pallium, vix unius anni Elector an. 1142. ſub Innocentio II. jam mortuus.

XXVIII. HENRICVS I. ELECTOR XII.

HEnricus I. ex Præpoſito, utì perſæpe vocant, majoris Eccleſiæ Moguntinæ propter inſignem virtutem magìs, quàm natales haud illuſtres, in Electorem delectus, diſplicuit multis ob rem, ob quam meritò placere potuiſſet: vitia nimirum dum in ſeſe & ſubditis præſertim Canonicis deteſtatus eſt ardentiùs, ſceleris ipſe per ſummum nefas inſimulatus, & à duo-

E 3 bus

bus S. R. E. Purpuratis Patribus perperam rem edoctis, ad ipſum ſupremum in terris judicem eſt delatus: cujus proin imperiò tantiſper ſedem relinquere juſſus, ſeceſſit in Saxoniam, ubi poſt aliquot menſes diſtributis in pauperes opibus ſuis reliquis pauperem Chriſtum eſt imitatus. Tempore vitæ ultimo auditus eſt dicere non rarò: *Dives fui Canonicus, pauper Præpoſitus, mendicus Epiſcopus.* D. Abbas Bernardus, cujus conſilia perſæpe rogare ſolebat, Henrici abundè perſpectam habebat innocentiam: unde epiſtolis ſuis id impetrâſſet facilè, ut reſtitueretur ſedi ſuæ, niſi viam omnem & aditum literis mors intercepiſſet poſt annum Electoratûs 11. an. Chriſti 1153. Sederunt eodem tempore Lucius II. & Eugenius III.

XXIX. ARNOLDVS. ELECTOR XIII.

ARnoldum Electorem authorum alij natione Moguntinum ſanguine haudquaquam illuſtrem, alij Rhenanum nobilem ex nobili Selenhofienſium familia natum ſcripſerunt. Nemini verò dubium fuit, quin præſtantis corporis, præſtantioríſque animi fuerit Decanus Aquiſgrani, & ad D. Petrum Moguntiæ Præſes. A conſiliis etiam maximè ſecretis Friderico Cæſari fuiſſe non dubitant. Henrico Archipræſuli ſuo conſiliis & auxiliis adſtitiſſe ex eo metimur, quòd ejuſdem reſtituendi cauſâ Romam contenderit. Interea verò temporis, dum Romæ agebat alienæ intentus cauſæ, ſuam promovit maximè; Henricus enim innocentiæ ſuæ immortuus, ſedem reliquit viduam illi, qui Henrico invidebat minimè, nimirum Arnoldo; quo ſedente bellum adversùs Inſubres gerebat Fridericus ſtatutis jam antea pœnis in tranſgreſſores gravibus, ſi fortè armis abſente Cæſare ſeſe Impetij Proceres laceſſerent. Haud verò Cæſaris minis abſterritus Hermannus Comes Palatinus cum ſociis, Arnoldi ditiones depopulari non deſtitit. Vim vi repellere, aut plùs juſto inferre haud ceſſabat etiam Arnoldus. Quare in Germaniam redux Fridericus *pœnam*, utì dixerunt,

xerunt, *caninam* jussit subire Hermannum cum sociis nobilibus, quorum nomina *Dodechinus* & *Radevvicus* attulerunt. Parcitum est equidem Arnoldo, quò minùs & ipsi stadiis pluribus portandus supra humeros fuerit canis, quemadmodum portârunt iisdem testibus Comites decem; justa nihilominus reprehensio, & fortè æris mulcta non defuit. Seditione deinde orta civium ob imposita nova tributa & privilegia eorundem diminuta, ab iisdem suis civibus occisus, vestibus exutus, & in fimetum fuit abjectus. D. Hildegardis Deo sacrata virgo Antistitem de fatis suis præmonuisse his verbis fertur: *Cave charissime Pater; canes enim jam dimissi sunt, qui te persequuntur.* Ignominiosissimum hoc facinus pœnis severissimis ultus est Fridericus; seditionis enim authoribus post tormenta prævia abscissa sunt capita, Moguntiæ mœnia diruta, privilegia extincta, & urbis pars magna solo est æquata. An. 1160. sacrilegis succubuit manibus, postquam annis 7. potiùs pugnavit, quàm sedit sub Pont. Anastasio IV. Hadriano IV. & Alexandro III.

XXX. CONRADVS I. ELECTOR XIV.

VEtus habet parœmia: ignis probat aurum, adversitas virum: Conradus I. Comes Wittelspachius contra æmulos Rudolphum Zeringensem Ducem, & Christianum Comitem Thuringum denique confirmatus Archipræsul, quanti virtutem faceret, inter sacrum & saxum medius demonstavit: suas enim in partes dum pertrahere conatus est Fridericus Cæsar, Conradi æstimator & promotor, nihilominus Conradus aurum igne, & virtutem ferro probandam esse ratus, sprevit intrusum à Cæsare Pseudopontificem, ut jus suum non negaret Alexandro III. Romano Pontifici. Quare biennio vix bene elapso sede sua pulsus advenit exul in Italiam, ubi Sabinensis Antistes à Pontifice creatus, annis 16. Italos virtutum radiis adeò illustravit, ut ægrè Germanis suum Electorem restituerint, Germani verò ardenter repetierint: anno namque 1180.
à Mo-

à Moguntinis inter publicos plauſus in ſedem ſuam reductus ad annum 1200. mirè profuit Eccleſiæ & Imperio, nimirum & à Pontifice & à Cæſare conſiliis atque negotiis publicis crebrò adhibitus, legationes ſuſcepit in Aſiam ad Leonem Armeniæ Regem, & in Huugariam ad Emericum ſimùlque Andream regiòs fratres de ſceptro & corona dimicantes. His verò amicitiæ & fraternæ concordiæ vinculo denuo conjunctis, dum rediit in Germaniam, Paſſavij lethali morbo ſuccubuit, eodem nimirum anno 1200. poſtquam ab exordio ſui Electoratûs, aut veriùs à morte Arnoldi an. 4. inde verò pulſus & reſtitutus annis 20. ſedit unà cum Pontificibus Alexandro III. Lucio III. Urbano III. Gregorio VIII. Clemente III. & Cœleſtino III. *Vide de hoc & omnibus aliis ſeculorum horum Electoribus Kranzium, Trithemium, Serarium, & authores ab horum ultimo citt.*

SECULUM XIII.

XXXI. CHRISTIANUS I. ELECTOR XV.

PUlſo è ſede ſua Conrado Chriſtianus I. in ejuſdem locum imperante Friderico Cæſare intruſus annis 16. Moguntiæ præfuit, & profuit, gratiâ Imperatoris valens plurimùm, imò donis & dotibus ſuis propriis, quibus ars & natura ritè Electorem inſtruxerunt; quinque enim aut ſex linguarum peritiâ imbutus, & in aula Cæſaris corpore animóque magnus, dixit & ſcripſit multa in legationibus publicis, mirantibus Electoris Chriſtiani eloquentiam & ampliſſimam rerum notitiam Germanis, Latinis, Græcis, Italis, Gallis, Belgis &c. Duo rerum capita cenſoriâ virgulâ perſtringere non ſunt veriti authores in hoc Archipræſule, nimirum quòd relicto Alexandro Pontifice, & fugato Conrado Moguntino Electore res multas aggreſſus fuerit longè audaciùs: quam prudentiùs! quòd item imperij res pluris æſtimaverit, quàm Eccleſiæ, haud veritus in Italiam copias Cæſareas ducere, & Ducis inſtar

inſtar dimicare. Mortem igitur veriùs inter milites in Italia, quàm inter Sacerdotes in Germania oppetiît an. 1280. poſtquam an. 13. potiùs inter Cæſaris negotia, quàm ſacra paſcua conſumpſit, invitis maximè Pontificibus Alexandro III. & Succeſſoribus.

XXXII. SIGFRIDUS II. ELECTOR XVI.

SIgfridum II. ex Eppenſteiniorum perilluſtri familia prognatum, pars altera Canonicorum Bingæ elegit, pars altera Lupoldum Wormatienſem Epiſcopum poſtulavit, & Philippus Cæſar exoptavit Moguntiæ Archipræſulem : unde nata diſcordia & bella ; Sigridum namque Innocentius III. Pontifex, Lupoldum verò Philippus Imperator propugnavit in pugnis, quin in velitationibus ſocium ferè perpetuum. Percuſſo demum anno 1208. Philippo, Otto Imperator Lupoldum procul aris & focis Moguntinis removit exulem, ut rem gratam præſtaret Pontifici. Profuit exulâſſe Lupoldo : poſt edita enim pœnitentiæ ſigna, & exauthoratum Ottonem Cæſarem, Wormatienſi Eccleſiæ eſt reſtitutus, fortè ut pœnitentiam ptobè cœptam proſequeretur, horâ mortis exoptatiſſimam, quam jam anno 1212. obiît. Annis 13. ſuperavit Lupoldum Sigfridus, qui Moguntinis præcipuè gratiſſimus, multa & magna geſſit, ſua authoritate haud mediocri, & Pontificis ſuprema poteſtate ſuffultus. Dolendum ſanè, quòd Authores ſeculi XIII. multorum geſta ſummatim celebrent, nullum tamen facinus, laudandum etiam poſteris, deſcripſerint. Talis nimirum mos erat iſtius & aliorum ſeculorum : pugnare gladio plùs juſto in deliciis erat ; certare calamo curas fuit inter poſtremas. Annus vitæ ultimus Sigfridi inter annos Chriſti numerabatur 1225. Pontifices imperârunt Innocentius III. & Honorius III.

XXXIII. SIGFRIDUS. ELECTOR XVII.

Sigfridus III. Sigfridi II. ex fratre nepos difficillima tulit tempora, Friderico II. Imperatore Ecclesiam simul & Imperium turmîs & turbîs implente. Electoratus sui initio adeò celebrem instituit Moguntiæ Synodum, ut eandem multi *Synodum Germanicam* per Antonomasiam appellârint. Multa in eadem sunt acta, & arbitris multis transacta in emolumentum Ecclesiæ simul & Reipublicæ Politicæ. Erat nimirum Sigfridus Imperatoris Friderici primò in bellis socius, sed eodem Imperatore Romano Pontifici obedientiam negante, & transversum omnia demum agente adversarius, promulgavit anathematis sententiam per Germaniam, multorum ab hoc odiis expositus, & Germanorum simúlque Italorum tumultibus implicitus, quibus tamen omnibus insuper habitis, Henricum Thuringiæ Ducem unà cum Electoribus reliquis elegit Cæsarem. Æqualem dein honorem exhibuerunt Wilhemo Hollandiæ Duci, Henrico mortuo subrogantes Successorem. D. Elisabetham Thuringiæ principem honori publico ampliùs commendaturus, ejusdem reliquias altiorem ædis sacræ in locum Marpurgi extulit, miraculis non paucis Dei annutum attestantibus, quibus permotus Gregorius IX. Rom. Pont. eandem Beatorum numero adscripsit. Annis 24. Ecclesiæ & Imperio prodesse, & Elector & Archipræsul studuit, multis factis, multis votis & lacrymis multis; quare honorificis statuis post mortem est honoratus & exornatus, quæ solent esse inter Romanos & Germanos vitæ & mortis ritè peractæ viva testimonia. Privilegium à Bohemiæ Regibus impetrâsse scribitur, quo inter Bohemos coronæ regiæ impositio non nisi Moguntinis Archiepiscopis fuit asserta in annos perpetuos, cui tamen privilegio sua sponte nuntium remisisse Successores vel verè creduntur, vel finguntur. Sedit annis 24. vitâ functus 1249. Romæ imperârunt Gregorius IX. Cælestinus IV. Innocentius IV.

XXXIV. CHRISTIANVS II. ELECTOR XVIII.

CUm bellantibus bellandum eſt, aut ſuccumbendum. Ita clamârunt, qui hoc ſeculo in Germania pugnârunt, in partes varias diviſi Principes Imperij. Chriſtianus II. in Eccleſia Moguntina à teneris annis enutritus, & poſt varias ſuffragiorum viciſſitudines Archiepiſcopus electus, non niſi annis 3. pedum Moguntinum conſervavit; cùm enim copias Wilhelmo Imperatori mittere vel tardaret, vel penitùs recuſaret armorum & omnis ſtrepitûs pertæſus Elector, ipſus unáque multorum Virorum Principum incurrit odium tantum, ut multis criminationibus denigratum ,& tanquam arduis muneribus minùs habilem etiam Hugo Pontificius Legatus ab officio ſuo & dignitate removendum judicaverit an. 1251. cùm Romanus Pontifex eſſet Innocentius IV. Cæterùm credunt Moguntini, Chriſtianum hunc fuiſſe illum Authorem, qui rei Hiſtoricæ apprimè peritus, elucupravit depoſitionem Henrici IV. Imperatoris; item geſta Arnoldi Epiſcopi Moguntini, aliorúmque Anteceſſorum ſuorum.

XXXV. GERARDVS I. ELECTOR XIX.

GErardus I. Comes, paſſim Waldgravius appellatus, & ſi ritè ſcripſit Bruſchius, inter D. Franciſci filios virtutibus & literis inſtructus, tametſi annis fortaſſis & meritis non admodum valeret, tamen mirabili fato in ſublimem Moguntiæ Sedem evectus, gratiſſimum ſeſe exhibuit Ebredunenſi Archiepiſcopo, obſcuris artibus Gerardum promoventi, & Chriſtianum II. removenti. An. 1256. Friderico Comiti de Eberſtein adversùs Albertum M. Brunſuicenſium Ducem ſuum & Dominum pugnanti ſuppetias allaturus, in prælio captus, & annua captivitate detentus cum Phrygibus ſapuit, haud facilè reſtituendus, niſi Richardus Anglorum Rex, cujus partes ſequi decreverat, graviſſimâ auri

summâ redemisset. Fridericus etiam inter captivos ductus, in præaltam furcam est actus, nova tormenti methodo: alligatis namque supremæ trabi pedibus, corpore in verso pependit longo tempore, ut spectatores & sceleris conscii multi discerent Principi suo promissam fidem servare. Annis 9. tempore interregni Gerardus fuit Elector, mortuus an. 1260. Vixit sub Innocentio IV. & Alexandro IV.

XXXVI. WERNERUS. ELECTOR XX.

WErnerus ex illustrissima Comitum Falkensteiniorum familia natus, post electionem sui Canonicam Romam petiit, coram rogaturus Pontificem Alexandrum IV. Archiepiscopale pallium. In itinere per Helvetiæ montes & valles viæ socium nactus est Comitem Rudolphum Habspurgicum, cujus jam tam virtutes multas maximi fecit, & solio Imperij dignas judicavit, prudentissimus & arbiter & augur: elapsis namque eo ex tempore annis 12. cùm Supremi in Romano Imperio convenêre Principes Cæsarem electuri, Wernerus suo calculo Rudolphum nominavit perpotenti exemplo ad imitationem sui trahens Electores alios, præsertim verò Ludovicum Severum, cujus authoritas tum temporis plurimùm eminuit. Post publicas Ecclesiæ Romanæ & Imperij curas, curam Archiepiscopatus sui in se suscepit singularem, dum an. 1261. provincialem Synodum Moguntiæ celebravit, periculosis temporibus succurrendum, & præveniendum ratus. Ditionibus Electoralibus inhiantes Comitem Sponhemiensem Joannem, & Philippum Hohenfelsium armis partim sacris, partim profanis profligavit, prioris nimirum copias superando, posterioris verò sacris interdicendo. Sententiam æquissimam, licèt severam, tulit in Hebræos quoque, qua sublatis scelerum authoribus aditum in urbem Moguntiam eis deinceps constanter negandum esse statuit, triplicem maximè ob causam & cul-

pam, quarum primam commiſerunt abutendo per ſummum nefas dape Evchariſtica clam ablata: alteram fundendo Chriſtianorum parvulorum ſanguinem, & præſtigiis adhibendo: tertiam denique puteos inficiendo. An. Salutis 1284. multorum lacrymis parentatum eſt, poſtquam 24. annis Moguntiam Archipræſul illuſtravit ſub novem Pontificibus Romanis, nimirum Alexandro IV. Urbano IV. Clemente IV. Gregorio X. Innocentio V. Hadriano V. Joanne XIX. Nicolao III. & Martino II. Sepulto Wernero Canonicorum partes geminæ paribus ſuffragiis in Electorem ſuum delegerunt Gerardum Comitem Eppenſteinium Trevirenſem Archidiaconum, & Petrum Reichenſteinium Baſileenſem Canonicum, majoris Eccleſiæ inter Moguntinos Præpoſitum, quondam Rudolphi Habſpurgici Medicum. Annis tribus diſcordia pertinax Sedem reliquit viduam: denique inter duos litigantes gaudere tertium juſſit Honorius IV. Pontifex, ea tamen moderatione, ut Petrum Reichenſteinium Baſileenſibus Epiſcopum dederit, Gerhardo autem ſpem promotionis fecerit maximam. Cæterùm inter duos litigantes ille tertius fuit.

XXXVII. HENRICVS II. ELECTOR XXI.

HEnricus II. inter Epiſcopos Baſileenſes hujus nominis IV. Iſenæ in Suevia ex parentibus tenuis fortunæ natus: præclaris tamen animi dotibus & virtutibus viam ad lauros & mitras ſternere ſibi didicit: inter Monachos enim D. Franciſci cooptatus, Doctoris Theologiæ inſignia capeſſivit, diſcipulorum haud paucorum Magiſter, & paulò poſt Lucernæ Baſileæque Guardianus, ùt vocant, ubi ſimul Rudolpho Comiti, & mox Imperatori à ſacris confeſſionibus, conſiliis & legationibus fuit. An. 1277. inter diſſidentes Canonicos, nemine tamen diſſidente lectus Epiſcopus, munus ſuum obivit magno totius Diœceſis emolumento. An. 1285. Legatum mittere Romam conſtituit ad Hono-

rium IV. Pontificem Imperator Rudolphus. Committitur Henrico legationis munus & graviſſimarum juxtà tractandarum cum Pontifice rerum. Hujus porro legationis optatiſſimus Pontifici fuit ſucceſſus, quando Rudolphus ſacræ Sedi confirmavit Bononiam, Romaniolam, & ſimul Exarchatu Ravennate ceſſit. Officio legati præclarè functus Henricus, Pontificis ſummam erga ſe gratiam ita promeritus eſt, ut pinguem bene navatæ operæ remunerationem exſpectare poſſet; & bene expectâſſe eventus probavit: creatus enim ob id maximè Elector Moguntinus, tribus annis placuit multis, & multis diſplicuit; hos inter Canonici ægro animo ſuſtinuerunt Electorem & Archipræſulem obſcuro loco natum, & invitis obtruſum. Annus vitæ ultimus erat Henrico 1288. Ferè cum Honorio IV. in Sedem promotus & morte remotus.

XXXVIII. GERARDUS II. ELECTOR XXII.

GErardus II. Comes Eppenſteininus jam non unius tantùm partis, ſed ferè omnium calculis electus Archipræſul, audita ſui electione ac promulgatione lætus, contendit Romam quamprimum, ubi à Nicolao IV. Pontifice Archiepiſcopus conſecratus, & pallio eſt exornatus. In Germaniam redux Hanoviæ Comitem procaciùs multa dicentem & facientem coercuit, ſimúlque Fuldenſes ſubditos contra Principem ſuum ſeditioſos in ordinem redegit. Anno 1291. Rudolpho Cæſari juſtis perſolutis Adolphum Naſſovium bellica laude dotibúsque aliis multis inſignem Ducem ad Imperatoriam dignitatem pene ſolus evexit, eundémque ad Imperij coronam ſuſcipiendam Aquisgranum deduxit. At tantopere placuit Imperator, paulò pòſt maximopere Gerardo diſplicuit: Adolphum enim fortunam ſuam non capientem, & in ſcelera effuſum denique, idem qui creandi, fuit etiam author exauthorandi Cæſaris, vocato in Imperij thronum Alberto

berto Habſpurgico Rudolphi filio, cujus virtutem magni æſtimare, ſed & potentiam tandem timere didicit, jam non imperare, ſed obedire Imperatori doctus, præſertim ubi Bingio à Cæſareanis occupato circumfuſas Moguntiæ copias aſpexit. An. 1292. Aſchaffenburgi Synodum celebravit, cui aderant Epiſcopi Bambergenſis, Herbipolenſis, Auguſtanus, Euſtadianus, Hildeſienſis, Wormatienſis, Spirenſis aliique: ejuſdem Synodi acta in compendium conſcripta legerunt & laudârunt plurimi. An. 1298. Pragæ Wenceslao Regi & hujus regiæ conjugi Jutæ impoſuit coronam: Infulam verò ſuam amiſit morte ereptam an. 1304. annorum 16. Præſul. Sub Pontificibus Nicolao IV. Cæleſtino V. Bonifacio VIII.

SECULUM XIV.

XXXIX. PETRVS. ELECTOR XXIII.

PEtrus in Archiepiſcopatu Trevirenſi ex pauperibus natus parentibus, in juventute medicinæ, & unà ſcientiis pluribus ſtrenuam navavit operam, Theologiæ etiam non parùm peritus. Henrico Lüzelburgico futuro Cæſari exoptatus Medicus, in rebus cunctis ſuam plurimùm commendavit induſtriam, arcanorum ferè omnium in aula arbiter. Igitur Henricus ut Balduinum fratrem ſuum 18. annorum juvenem in Moguntiæ Sedem Archiepiſcopalem promoveret, miſit Petrum Legatum ad Clementem V. Pontificem in Gallia tum commorantem. Præter alia in Balduino diſplicuit Clementi juvenilis ætas. Re itaque infecta dum Medicus ſimúlque Legatus ſeſe accingit ad reditum, ſubitò Pontifex morbo corripitur; quem cùm Petrus porrectis pharmacis tridui ſpatio diſpuliſſet, in grati animi teſtimonium à Clemente nominatus & confirmatus eſt Moguntinus Archiepiſcopus his dictis: *Cùm noveris tam peritè curare corpora, noveris etiam deinceps curare animas.* Idem hic Petrus vel author, vel adjutor fuit maximus,

cur

cur Balduinus an. 1307. Trevirensis Elector, & Henricus Lüzelburgicus an. 1308. Imperator, atque alter ejusdem filius Joannes an. 1311. Bohemorum Rex fuerit electus. Mortem Henrici Imperatoris adeò doluit, ut dicere auditus fuerit, intra quinque secula mortuum non fuisse vel Imperatorem, vel Regem, cujus mors ansa fuisset tot malorum, quot erat mors Henrici. Vera dixisse Petrum, rei eventus monstravit: cùm enim in electione Imperatoria Ludovico Bavaro faveret Petrus unà cum aliis, Electores verò diversi Fridericum Austriacum Ludovico præferrent, innummeris in Imperio malis datum est initium. Nunquam tamen cessavit Petrus strenuè suo fungi munere: omnium enim subditarum animarum curam habuit sedulam, & inter primas suæ: cùm per integras ferè noctes adgeniculatus aris domesticis Deo loqueretur, & Evcharistiæ dape, si ad aram facere per vires non licuit, saltem alternis diebus refici desideraret, ad iter æternitatis nunquam non bene paratus, quod adiìt inter communes luctus an. 1320. Annorum 15. Elector sub Pontificibus Clemente V. Joanne XX.

XL. MATHIAS ELECTOR XXIV.

MAthias Comes Burgundus in Principi Monasterio Murbacensi Ord. S. Benedicti solidis omnino virtutibus adversùs quasvis dæmonis & pravorum hominum insidias præmunitus, & hac de causa Joanni XX. Pontifici non ignotus, potentissimis æmulis ab eodem est antehabitus. Inter æmulos Princeps Balduinus Trevirensium Archipræsul, perspectis Mathiæ dotibus eximiis, eidem in rebus adversis adjutor esse cœpit damnato errore suo; unde hujus & aliorum potentissimo adjutorio fretus Hassiæ Landgravium, utì vocamus, rapinis & incendiis grassantem subjugavit; Wirtenbergensem etiam ejus temporis Comitem Marchioni Badensi perinfestum compressit: ad hæc Bingenses, Er-

Erfordenses & Nordhausianos sacratis DEO ædibus & monasteriis permolestos coercuit. Tot hostibus minimè superatum insidiis suis vincere *teste Wione* non desperârunt malè morati Medici, qui cum morbis confligtanti tanto Præsuli non veriti sunt Venereos amores suadere, subornatâ jam eum in finem sacrilegum impudicâ fœminâ, quam tamen sibi præsentissimus & constantissimus Antistes continuò rejecit cum pejoribus Medicis. Eadem tempestate inter Ludovicum Bavarum, & Fridericum Austriacum summopere fervebant Martis classica. Gravissimis itaque difficultatibus occurrendum ratus Moguntinus Elector, Concilium an. 1327. convocavit. *Imminentibus dein*, utì ait *Trithemius*, in dies magis periculis & turbis est ereptus Vir omni honore perpetuáque memoriâ dignus an. 1328. Sedis 8. aut 9. sub Joanne XX.

XLI. HENRICUS III. ELECTOR. XXV.

HEnricus III. Comes de Virneburg à Joanne XX. Pontifice invitis Canonicis Archipræsul oblatus, aut veriùs obtrusus, per annos tres continuos est repulsus, multis, ut edoceretur ritè Sedes Romana, rogantibus & clamantibus. Tempori cedendum ratus Joannes Pont. Balduinum Trevirorum Archipræsulem, à Moguntiæ Clericis licèt invitum in suum Electorem quoque electum, Henrico dedit Adjutorem, qui utriusque Ecclesiæ solertem curam gessit, procul pulsis hostibus externis & domesticis. Finito inter lites triennio, Henricus Elector confirmatus, Moguntiámque introductus, paratum expeditúmque ad rerum omnium concessionem expertus & miratus est Balduinum. Malè cessisse docuit Henrici in malo pertinacia: Pontificum enim & Clericorum hostibus adstitit, contemptis minis & quibusve pœnis Ecclesiasticis. Quare ejus in locum suffectus Comes Nassoviæ, octo annis continuis infensissimum sibi hostem pertulit Henricum, Ecclesiæ Moguntinæ summo detrimento. E Sede Mogun-

tiæ rejectus eſt Henricus poſt annum 14. Chriſti 1346. Sederunt eodem tempore Joan. XX. dictus XXII. & Benedictus XI.

XLII. GERLACHUS. ELECTOR XXVI.

GErlachus is ipſe Comes Naſſoviæ poſt annorum octo curriculum tandem quieta Sede potitus, Carolóque IV. Imperatori peracceptus, Bullam Auream Romani Imperij Regulam unà cum Electoribus & Viris Principibus reliquis conſcriptam probavit. Mox verò ad reformationem morum, præſertim verò Eccleſiaſticorum virorum converſus, hortante Carolo Imperatore, Pontifici Juris Regulas gnaviter obſervavit. Hoc ſedente Archipræſule Pragæ omnium primus creatus Archiepiſcopus copiam impetravit coronandi deinceps Bohemorum Reges: at ne injuriam irrogari ſibi conquererentur Moguntini Antiſtites, quibus coronandi Reges Bohemos privilegium hactenus conceſſum favebat, hanc ob cauſam Hœchſtium urbem eorundem ditionibus adjecit Imperator. Annis 18. poſt ſepultum Henricum floruit ad annum Chriſti usque 1371. ſub Pontificibus Clemente VI. Innocentio VI. & Urbano V. Gerlachus, de quo tamen pauca meminêre Hiſtorici rerum compendiis contenti.

XLIII. JOANNES I. ELECTOR XXVII.

JOannes I. Dux Lüzelburgicus, Caroli IV. Imperatoris precibus à Gregorio XI. auditis, confirmatus eſt Moguntiæ Elector, Cunone Falckenſteinio Trevirenſium Archiepiſcopo alteram dignitatem non optante, & Comite Naſlovio Adolpho non conſequente. Annis 2. ſolùm Paſtorale Moguntiæ Pedum tenuit, quo tamen tenente an. 1372. frequentiſſimus Eccleſiaſticorum juxtáque Politicorum Principum conventus, ipſe etiam præſente Imperatore, Comitia celebravit, ut Pontifici Eccleſiaſticorum redituum decimas poſcenti reſponderet Imperium. Mox dein vivis

ereptum

ereptum Joannem desideriis multis desiderârunt multi paucorum verborum synopsi encomia Archipræsulis sui comprehensuri, dum dixerunt: *amisimus Episcopum, ovem, & agnum.* Quæ verba in deteriorem partem interpretatus *Vimphelingius* ait, fuisse pinguem & bonum, officij verò minùs, quàm conviviorum æstimatorem. *Vide Guilmannum de Episcopis argentoratensibus.*

XLIV. ADOLPHUS I. ELECTOR XXVIII.

ADolphus I. Gerlachi patrui nepos, in Archipræsulem Moguntinum cooptatus, annis compluribus Ludovicum Misniæ Marchionem Bambergæ Episcopum expertus est hostem, Carolo Imperatore Ludovici partibus favente, & suam in sententiam Pontificem Gregorium XI. pertrahente. Arbitrio tandem mortis, quæ crebrò nemine hominum opinante, lites dirimit gravissimas, causâ cecidit Ludovicus, post lautas epulas subitò correptus morbo & obrutus morte, utì narrat *Kranzius* aliique. Annis dein reliquis fracto Hassiæ Landgravio Hartmanno repetitis victoriis, pacis fructibus frui licuit Adolpho, cujus tempora Superi raro miraculo illustrârunt, blasphemam lusoris linguam & manum Moguntiæ ulti. *Vide Serarium*, qui ligata & soluta oratione manantem è sacris imaginibus sanguinem, & multa alia copiosè descripsit. Sedit Adolphus an. 16. mortuus est an. 1388. Floruerunt eodem tempore Gregorius XI. & Urbanus VI.

XLV. CONRADUS II. ELECTOR XXIX.

COnradus II. Comes Weinspergius Adolpho in Sede Moguntina subrogatus, pacem desideravit, haud impetravit: anno enim Conradi primo Moguntia, Spira, Wormatia & Francofurtum icto fœdere contra Rupertum Ducem Palatinum invito Archipræsule in aciem egressæ, maléque mulctatæ pedem retulerunt saucium: multis namque trucidatis è captivo-

rum numero, sexaginta partim viros, partim juvenes in ardentem fornacem præcipitari mandavit Rupertus, quòd concubia nocte oppidis & villis flammas subdidissent. Eadem fermè ætate deprehensa Waldensium hæresis, multis Moguntiæ saluti, authoribus verò suis exitio fuit: sex enim & triginta viros ea ex lue plurimùm jam infectos infamis sustulit Bingii ignis, ne ossa quidem superessent hæresis testes, aut fortè zizaniorum novorum semina. Hæc de Moguntia potiùs, quàm Moguntino Electore Conrado scripsêre *Trithemius & Serarius*, *& pacificum* quem *tranquillum* fuisse contenti sunt dixisse; qualis scribendi methodus multis in locis nobis ut sufficiat, necesse est. Annis 7. Moguntiam rexit, mortuus 1395. sub Bonifacio IX.

XLVI. JOANNES II. ELECTOR XXX.

NOn semper lentè festinandum esse, exemplo suo docuit Joannes II. Comes Nassoviæ Conradi II. Archipræsulis Moguntini frater, qui ut Pedum Archiepiscopale Godefredo Comiti Leiningensi æmulorum maximo præriperet, properè Romam contendit, pedibus velocior, non meritis felicior. Corpore parvum, ingenio magnum dixerunt Joannem, qui propiùs observârunt. Anno Domini 1398. Herbipoli Erfordiam transtulit Academiam, quòd Musæ pacis filiæ, aut minimùm amicæ inter seditiosos cives vix sperarent locum sibi reliquum. In Imperij damnum maximum aut ruinam penitus natus factus videri poterat Imperator Wenceslaus Caroli IV. filius, in omne vitiorum genus effusissimus, cùm interea Hussitarum hæresis omni pestilentia gravior per Germaniam universam grassaretur. Quare inter authores eligendi novi Cæsaris Joannes ferè author maximus, unà cum Electoribus aliis deposito Wenceslao, Fridericum Brunsvicensem elegit, post paucos dies è medio sublatum ex insidiis à Waldekiano Comite structis, quarum authorem, utì fieri amat, multi dixe-

dixerunt Joannem Moguntiæ Electorem, inter communia mala zoilis passim obviis sententiam malignam dicentibus. In verticem Friderici vocatus Jodocus Moraviæ Marchio, multorum annorum senex, & hoc brevì mortuo Rupertus inter Palatinos Electores Ruperti II. filius, post annos Imperii 10. bellum movit Joanni Electori, cui soli maximè mors profuit, dum Cæsarem Imperii columnam stravit. Inde omnium Electorum suffragiis electus Imperator Sigismundus in Germaniam venit, cujus præsidio fretus Elector Moguntinus Hermannum Hassiæ Landgravium oppugnavit. Concilio post breve tempus Constantiæ indicto, cùm Joannis XXI. dicti XXIII. Pontificis partes Joannes Elector sibi propugnandas existimaret, ex datis à Concilio epistolis intellexit, satiùs esse communi Patrum sententiæ acquiescere, turbas in Germania tollere, & hæresi Hussianæ pro viribus occurrere, quæ omnia strenuè peregit, usquedum egit animam an. 1419. Sedis 22. sub Pontificibus Bonifacio IX. Innocentio VII. Gregorio XII. Alexandro V. Joanne XXI. & Martino V.

SECULVM XV.

XLVII. CONRADVS III. ELECTOR XXXI.

Conradus III. Comes Rhenanus vestigiis Joannis mortui insistens, continuò dedit literas ad Episcopos & Abbates sibi subditos, ut seriò incumberent ad emendandos Clericorum juxtàque Monachorum mores. Operam ea ex parte strenuam navavit Conrado Cardinalis Placentinus à Martino V. Pontifice Germaniæ magnam partem lustrare & emendare jussus. Annis dein decem continuis ferè pugnante adversùs seditiosos Bohemos Rege & Imperatore Sigismundo, vicariam Imperio adhibuit manum, multorum Principum ob id expositus odiis, tanta munera, magna onera esse nescientibus. Cæterùm Archipræsu-

 lem

lem hunc præstantissimum fuisse corpore, hujus tamen illecebris nempe conviviis aliquantò indulgentiùs, quàm par erat, obsecutum esse, ferunt. Annos Elector numeravit 15. sub Martino V. & Eugenio IV. an. 1434. extinctus.

XLVIII. THEODORICUS. ELECTOR XXXII.

THeodoricus ex nobilissimo Erbachensium sanguine ortus, publicos tumultus inter statum Ecclesiasticum & civilem Moguntiæ enatos, non nisi Concilii Basileensis authoritate sedare valuit. Bellum hoc domesticum excepit alterum externum, adversùs Ludovicum Electorem Palatinum communi multorum suffragio susceptum, ubi auxiliares copias Theodorico miserunt Marchiones Badensis & Brandeburgicus. Data tandem & impetrata pace Synodum indixit Cleri mores emendaturus, cui opem suâ præsentiâ tulit Cardinalis Legatus Pontificius. Ut verò universis ipse exemplo præluceret, aulam suam virtutibus exornare non cessavit, quam passim paradisum dixerunt propinqui rerum arbitri. An. 1459. Sedis 25. mortem oppetiit Aschaffenburgi, quod ædificiis exornavit. Pontifices eo tempore fuerunt Eugenins IV. Nicolaus V. Calixtus III.

XLIX. THEODORICUS. ELECTOR XXXIII. ET L. ADOLPHUS II. ELECTOR XXXIV.

THeodoricus Comes Isenburgicus, aliis Budingensis dictus, licèt à Canonicis ritè electus, à Pio II. tamen Pontifice haud confirmatus, quin an. 1461. ob causas graves à Sede Moguntina remotus, omnem movit lapidem, ut invitâ etiam Curiâ Romanâ Elector deinceps honoraretur: unde Adolphus Comes Nassovius Wisbadensis in Sedem Theodorici vocatus, non nisi

nisi gladio aditum invenit ad Electorale Solium. Dolore & damno suo irreparabili vidit Moguntia in Adolphi & Theodorici partes abire Viros illustrissimos in Imperio quam plurimos, quibus ut satisfieret pro belli sumptibus, oppignerârunt ditiones fermè omnes Moguntinas Adolphus & Theodoricus. Inter Adolphi partes eminuerunt Imperator Fridericus, Marchio Badensis, & Comes ejus temporis Wirtenbergicus: inter partes verò Theodorici Duces Palatinus, & demum etiam Bavarus. Propè Seckenhemium an. 1462. commissa fuit pugna decretoria, in qua Friderici Palatini operâ adjutus Theodoricus victor triumphavit, in captivitatem Palatinam abstractis Viris Principibus non paucis. At eodem anno Adolphus conscensis Moguntiæ clam mœnibus, & fugato Theodorico victoriâ potitus, urbem, ad illud usque tempus inter Imperii liberas urbes numeratam, suis privilegiis privavit, tum demum in Sedem suam promotus. Anno namque altero adhibitis arbitris lis finita, Adolphus Archipræsul denuo promulgatus, Theodoricus verò quatuor oppida cum vectigalium jure in annos vitæ reliquos impetravit. Captæ, & privilegiis suis orbatæ Moguntiæ relictum est testimonii loco Chronologon:

ECCe LVIt fato MogVntIa Capta seCreto.

Anno nimirum 1462. Moguntia fata sustinuit tristissima: anno autem 1475. mortuo Adolpho Canonicorum communibus calculis denuo selectus Theodoricus eam maximè ob causam fuit, ut Moguntinæ Ecclesiæ ablata restitueret, quod multis suis encomiis magna ex parte præstitit; quin urbem suam principem arce à S. Martino nomen habente, & Academiâ recens extructâ, exornavit. Simul ad emendationem morum & scelerum extirpationem intentus, diversa Clericorum & Monachorum scandala sustulit, & Joannem de Wasalia hætericum condemnavit, Virorum Doctorum, sed non nisi Orthodoxorum insignis æstimator. An.

1482.

1482. Sedis 7. Aschaffenburgi dissenteriæ morbo est extinctus, cùm interea sederent Pontifices Pius II. Paulus II. & Sixtus IV.

LI. ALBERTVS I. ELECTOR XXXV.

ALbertus Ernesti Saxoniæ ac Misniæ Ducis filius Canonicus Moguntinus, annorum 17. juvenis à Theodorico annuente Canonicorum plurium parte in Adjutorem cooptatus, à Sixto IV. Pontifice confirmatus, spem maximam de se conceptam brevì elusit anno Sedis altero, ætatis 19. mense Majo inter crescentes, sed simul etiam emarcescentes flores, flos & ipse mortis falce demessus eodem anno 1404. quo Sixtus IV. ad plures abiît.

LII.BERTHOLDVS ELECTOR. XXXVI.

BErtholdus Comes Hennebergicus Romheldensis à corporis præstantia, prudentia, doctrina & virtutibus plurimùm laudatus Ecclesiæ Moguntinæ Decanus, omnium Electorum vocibus in primam Germanicæ Ecclesiæ Sedem est vocatus 20. mensis Maji, inter publicos populi amores & timores. Fuit hic subditorum amor simul & timor prudentissimo Principi ansa, cur deinceps mansuetudinis nunquam non memor, pacem publicam & privatam conservare laborârit, meritò *Procurator Pacis* appellatus. Maximilianum I. Francofurti unà cum Electoribus reliquis in Romani Imperii Regem electum, & inde Imperatorem Aquisgrani coronatum, constanter suis adjuvit consiliis; unde hujus Electoris operâ & industriâ erectum est Tribunal Spirense *Iudicium Camerale* dictum. Fœderis etiam Suevici suasorem fuisse perhibent & adjutorem. Cùm Bingii & Moguntiæ cives ob violata jura, mutuò diffiderent maximè, & jam vicinus Elector Palatinus Philippus cognomento Ingenuus armis instaret, singularis prudentiæ, ac in Superos conceptæ spei posteris reliquit testimonium: ad pa-

cis

cis enim consilia conversus Bertholdus diebus, ùt vocat Ecclesia, Rogationum, publicis ipse Elector precibus constanter præsens, vicinos hostes ad communia vota invitavit, quo orandi exemplo pacem facillimè impetravit, mirantibus universis, præsertim verò Electore Palatino, Bertholdi constanter æstimatione dignissimi fiduciam: unde dixisse traditur: *en iste Presbyter nobis strenuè irridet, armis territare ipsum conamur: & ecce quasi rerum omnium securus deambulatum vadit.* Postremum hoc notatu dignissimum: ob corruptos populi, & præsertim Sacerdotum mores, imminere nova etiam in religione placita, & pœnas justissimo DEI judicio infligendas præsagiens an. 1499. Synodum collegit, ad quam post Episcoporum cœtum viros quosvis doctrinâ & virtutibus insignes convocavit, ut inveterato malo inveniretur idoneum remedium. Adhibita adversùs morbos remedia in Bertholdo elusit mors an. 1504. postquam an. 20. universam Germaniam præclaris suis radiis illustravit sub Pont. Julio II.

SECULUM XVI.

LIII. JACOBUS. ELECTOR XXXVII.

JAcobus à Liebensteiniana Suevorum stirpe natus, avitis natalibus triplex decus adjecit nobilissimum, nimirum excellentem morum probitatem, doctrinam, & præsertim, Serario teste, Virginitatis florem. Relictum ab eodem hoc authore Jacobi compendium ad verbum huc transferre lubet, quod ita habet: *Jacobus, Liebensteinia Suevorum stirpe satus, ad Metropolitani Collegij Decanatum pervenerat, excellente Vir probitate, doctrina, & virginitatis laude. Fuit die 30. Decembris an. 1504. ad Archiepiscopale gubernaculum admotus: neque est, quod in eo à quoquam culpetur, nisi quòd ad taxillorum ludum fuisse putetur aliquando propensior.*

Si nisi non esset, perfectus quilibet esset,
Sed pauci visi, qui caruêre nisi.

Interfuit celebribus an. 1505. Coloniæ Comitiis, ad eúmque Limpurgensis Abbatis contra Comitem de Leiningen, cujus ministri Cœnobium illius incenderant, causa relata

R. P. Kolb, Ser. Episc. H *fuit,*

fuit, prout à Trithemio Epiſt. 31. *proditum. Interfuit & Comitiis aliis. Iterum an.* 1507. *Conſtantiæ Comitiis, ubi de Germaniæ pace Bellóque adversùs Venetos faciendo multa. Invaletudine, præſertim lumbagine ferè ſemper conflictabatur. Obiiſſe ait Bruſchius an.* 1508. *menſe Septembri, & diem indicat M. S. L.* 17. *Calend. Octob. Epitaphium verò ſic habet in ſummo templo: Jacobo de Liebenſtein optimo & clementiſſimo Præſuli, qui anno, ex quo Pontificatum iniverat, ſecundo, menſe Iulio die XVI. bonis omnibus Eccleſiæ vicem dolentibus deceſſit, poſteri bene merenti poſuerunt. Videntur autem hic ejus anni non ab Electione, ſed à conſecratione putari.* Hucusque ferè ad literam *Serarius.*

LIV. URIEL. ELECTOR XXXVIII.

URiel è Nobilium Suevorum de Gemmingen proſapia prodiit in lucem, luce majori illuſtratus, dum legem Doctor, eodem tempore inter Nobiles rara avis, dein ædes majoris Moguntiæ Decanus, & tandem Eccleſiæ maximæ Elector eſt confirmatus. Ne inter Urielem & Erfordenſes cives grave naſceretur bellum, authoritate ſua impedivit Maximilianus Imperator Urieli clementiſſimus, dum miſit litis arbitrum Laurentium Bibræum Herbipolenſium Epiſcopum laudatiſſimum. Conventui idem Elector, interfuit Imperij publico Treviris præſente Cæſare, ubi inconſutilem Chriſti Servatoris noſtri veſtem denuo viderunt, & eâdem DEUM Hominem noſtri causâ ornatum venerati ſunt. *Frugi Virum & parcum* dixerunt non pauci Urielem: unde aſſerunt, cùm fortè incidiſſet in furem cellæ vinariæ inſidiantem, irâ adeò incenſum fuiſſe, ut arrepto ligno obvio furis caput aut cervicem infregerit: quo inexſpectato mortis eventu usque adeò mutatum, aut veriùs ad agendam pœnitentiam converſum eſſe, meminerunt etiam, ut clam relicta Electorali dignitate Carthuſianorum ſolitudinem ſibi elegerit toti mundo mortuus an. 1514. Sedis 6. ſub Julio II. Vide Serarium, qui partem hanc ultimam vocavit admodum dubiam, haud immeritò: nam crebrò fabula huic non abſimilis in cellis vinariis, aut inter pocula naſcitur, & dum bis térve repetitur, inſtar hiſtoriæ venditur, emitur, amatur & confirmatur.

LV.

LV. ALBERTUS II. ELECTOR XXXIX.

ALbertus II. Marchio Brandeburgicus filius Joannis & frater Joachimi, utriusque Electoris Brandeburgici, an. Domini 1513. electus Magdeburgensium Archiepiscopus, & Ecclesiæ Halberstatensis Administrator, concordi omnium Canonicorum calculo vocatus est in Thronum Moguntinum an. 1514. mense Martio. Legitimæ electioni continuò accessit Pontificia confirmatio Leonis X. & an. 1518. Romana Purpura, qua Augustæ Vindelicorum à Cardinalibus Thoma Cajetano & Matthia Gurcensi pariter Episcopo, Pontificis Leonis X. nomine est exornatus. Hujus Archipræsulis plurimis naturæ, artis & gratiæ donis fulgentissimi ætate, à suis asseclis maximi æstimatus Doctor Lutherus nova placita in lucem edidit, ob id iratus maximè Alberto, quòd Joannem Tezelium, è D. Dominici sacra familia insignem Virum, neglecto Luthero antehabuisset, sacrarum Indulgentiarum & pœnitentiæ promulgatorem. Parvi pendendum tantillum virum primò existimavit tantus in Ecclesia & & in Imperio Cardinalis & Elector. Postquam verò vili pretiosum accedere, & cucullum Electorali Saxonum scuto vidit protegi, tunc enimvero totus adversariis novis contrarius, novo ardore dilexit decorem domus Dei, sacrarum præsertim reliquiarum insignis æstimator & exornator factus: nam Magdeburgo Moguntiam, Saxonum furori in sacras reliquias grassantium cedendum ratus, permulta Divorum ossa transtulit, in quorum honorem post D. Bartholomæi diem festum, diem alterum statuit selenniorem. Verni pariter jejunij observationem longè strictiorem & ipse observavit, & observari præcepit, in cujus parte ultima Dominicæ Passionis memoriam exhibitis publicè ejusdem insignibus, instaurari ritè mandavit, insuper habitis quibusvis illiciis ad defectionem à Fide Romana invitantibus, sequiorum exemplis, bellis & tumultibus in Germanico præsertim Imperio gravissimis, laudatus

ob hoc à multis illâ S. Codicis ſententiâ notiſſimâ: *potuit transgredi & non eſt transgreſſus, facere mala & non fecit.* Quin & ipſius Lutheri teſtimonio hunc in modum eſt aliquando dilaudatus: *rectè inſtitutus eſt Romæ Albertus, ideóque Lutheranam doctrinam noſtram flocci facit.* Contra hanc ipſam doctrinam in Germania præſertim noviſſimam, Albertus Moguntiam evocavit Societatis JEſu Patres eodem tempore adhuc pauciſſimos: è prima quidem decade venit Petrus Faber, Vir nemini non Catholicorum pretioſus in Germania, præcipuè verò Cardinali & Electori Alberto. Qualis quantúsque hic fuerit, prodat carmine ſuo Poeta Lutheranus Georgius Sabinus Melanchtonis gener ita canens:

Albertus jacet hoc loco ſepultus,
Qui de ſanguine regio creatus
Lumen cardinei fuit Senatus,
Qui virtute potentiáque rexit
Magni Saxonicas Ottonis urbes,
Et Moguntiaci fluenta Rheni.
Nil Germania majus hoc habebat;
Nam de litibus arduiſque rebus
Conventus ubi Principes agebant,
Verbis promptus & elegante lingua,
Ceu Laertiades regebat alter
Tutum conſilio ſuo Senatum:
Ac tot diſſidiis ubique motis
Terrarum bene conſulebat orbi.
Pacis Suaſor erat, quieta pacis
Sævis ocia præferebat armis:
Quin & juſtitiæ tenax & æqui
Dignas ſontibus irrogare pœnas,
Complectique bonos, & innocentes
Mitis non ſecus ac parens ſolebat.
Nec fulvum ſibi congregabat aurum,
Doctos munera conferens in omnes:
Diſpenſabat opes, manúque larga
Sacras Pieridum fovebat artes.

Hunc

Hunc lugubria tectus ora velo,
Albis, Rhenus, Havelus, hunc peremptum,
Fontis Pegaſei cohors, & omnis
Eſt reſpublica proſecuta fletu.

Mortuus eſt Elector Albertus an. 1545. ſedit an. 31. ſub Pontificibus Leone X. Hadriano VI. Clemente VII. Paulo III.

LVI. SEBASTIANUS. ELECTOR XL.

SEbaſtianum nobilis Heuſenſtammiorum gens in Haſſia edidit in lucem, cui nato ſplendorem inſignem addiderunt Doctoris inſignia è Pontificio ſimul & Cæſareo Jure collata, & eo tempore inter nobiles pretioſa. Decus tertium exornavit priora maximè, quod Elector hic à virtutibus multis, præſertim verò ab avita in religione conſtantia ſibi hauſit, & tanquam ſcuto adversùs quasvis bellorum tempeſtates firmiſſimo ſeſe defendit, poſt extinctum Cardinalem Albertum in Comitiis Imperij ſuam teſtatus conſtantiam, periculo ſolis hoſtibus tunc formidando. Certè ſi ullus Germanorum Electorum, aut aliorum Virorum Principum poſt initum fœdus Schmalkaldicum ſuccurrit periclitanti Cæſari Carolo V. is fuit Sebaſtianus, qui Buranum Comitem Maximilianum ex Belgio per Moguntiæ ditiones in Germaniam copias Cæſari adducentem ſtrenuè adjuvit, & majori victoriæ ſua minori prælusit, ubi nimirùm Chriſtophorus Oldenburgicus, & Rifebergus Proteſtantium, utì appellantur, Duces propè Moguntiam fuſi fugatique ſunt. Conventibus dein pluribus Auguſtæ Vindelicorum & alibi celebratis interfuit conſtanter Elector, qui quemadmodum loco & dignitate, ita etiam induſtriâ, ſapientiâ & zelo eminuit, & Concilium Tridentinum de rebus cunctis ſcitu neceſſariis ac utilibus edocuit. Nec interea deſtitit indicere Synodos Diœceſanas & Provinciales, in quibus & Epiſcopos, & horum Sacerdotes ſubditos ſingulari eloquentia, ardore & animarum zelo fuit adhortatus ad munus ſuum ſtrenuè

obeundum. Atque ut absque longiori mora quisque data sequeretur monita, injunctáque observaret præcepta, exemplo in rebus omnibus præluxit, nunc iter difficile ac periculosum in sese suscipiendo, nunc Suffraganeos suos, nunc Oratores sacros aut Legatos mittendo, ut succurreret eminus atque cominus: peragratis nempe pluribus Germaniæ provinciis tandem an. 1551. mense Septembri cum Archiepiscopo Trevirensi Tridentum petiit, magna susceptus omnium Patrum lætitiâ & gratulatione, quòd spem conciperent, fore ut tantis è Germaniæ Præsulibus & Viris Principibus intellecturi essent consilia & sententias restituendæ Germanicæ Ecclesiæ saluberrimas. Sed dum Sebastianus cum Electoribus Trevirensi & Coloniensi, qui brevì secutus jam advenerat, Tridenti Concilio solertissimam dant operam, interea hostes in ditiones maximè Moguntinas grassati mense Martio an. 1552. Archipræsulem Moguntinum ad propria redire compulerunt. Albertus præcipuè Brandeburgicus Elector in Moguntiæ ruinam intentus, nec ulla vi repelli, nec auro copiosissimo potuit satiari: unde Elector suam Moguntiam relinquere coactus, Argentoratum ascendit; sed inde etiam fugatus in Brisgoiam pervenit per sylvam Hercyniam & Sueviam ad Cæsarem profectus Augustam, tandem absoluto admodum difficili viæ circulo Moguntiam rediit, obortis lacrymis inter cineres suas ditiones contemplans, & latentibus sub ruina multorum subditorum cadaveribus parentans. Dedit tamen etiam Deo more seditiosorum Ducum multorum pœnas justissimas Albertus: à Mauritio enim Electore Saxoniæ relictus, & mox superatus, à Sebastiano Archipræsule aliisque Heilbrunnæ Viris Principibus banno Imperij subjectus, paulóque pòst à Cæsare ipse proscriptus, in Galliam auffugit. Elector verò Sebastianus curis & laboribus fractus, dum an. 1555. ad Comitia Augustæ rursum celebranda est evocatus, mortis accepit nuntium post annum Sedis 11. acceptissimus Paulo III. & Julio II. Romanis Pontificibus.

LVII. DANIEL. ELECTOR XLI.

DAnielis Electoris Moguntini præstantissimi gesta brevi compendio conscripta qui desiderat, is monumentum à Danielis Successore Scriptum legat, quod ita habet: *Daniel DEI gratiâ Archiepiscopus Moguntinensis S. R. I. per Germaniam Archicancellarius, Princeps Elector, & è nobili familia Brendel ab Homperg an. 1555. ætatis 33. electus, Ecclesiam annis 27. optimè pacificéque rexit, haud paucis emolumentis auxit atque ampliavit: justititiam coluit, religionem promovit, charus omnibus extitit. Duos Imperatores Maximilianum II. & Rudolphum II. coronavit. Inculpatè vixit, Sacramentis Catholicè perceptis, piè placidéque quievit, desiderium sui luctúmque cunctis reliquit. Obiit Aschaffenburgi an. 1582. 22. Martij. C. A. R. I. P. Successor Prædecessori bene merito posuit.* His adde Roberti Turneri natione Angli Oratoris dissertissimi & eruditissimi brevem synopsin, qua Moguntiæ transiens depinxit Archiepiscopi Danielis mores: *Homo est Archiepiscopus iis moribus, quibus deberes fingere Principem. Princeps est ea facilitate, qua cuperes formare hominem, ut possit dici & homo Platonis, qualem solum antiquitas putabat Socratem, & princeps Aristotelis, qualem semper omnis Respublica optabat Rectorem. Cani loquuntur senem, firmæ vires juvenem. Hujus speciei nonne vides laudem? & cano colore majestatem Archiepiscopi, & firma vi onus Principis sustinet egregiè. Religionis suffulciendæ, confirmandæ quo studio teneatur, abundè satis indicat templum à fundamento non ita pridem erectum, & eleganti opere, vario labore, imagine rara peregregiè expolitum. Ambrosii videor majestatem exprimere, atque adeò Ambrosii jam tonantis in Theodosium. Magis crederes, si his addas ejus humanitatem, amorem; quippe sic excepit Bavaros, sic amavit Catholicos, ut quòd tanta suavitate exceperit hospitalis; quòd tanto studio amârit, Pij non solùm meritus sit nomen, sed etiam vicerit notionem.*

Singulos ferè apices hoc compendio contentos multis paginîs prosecutus est Serarius. Compendium etiam hoc loco sufficiat: addere simul sit satìs verba Danielis precatorio libello, & tabulæ constanter oculis patenti inserta:

1. *Vita brevis.*
2. *Forma decipiens.*
3. *Pecunia fluxa.*
4. *Imperium invisum.*
5. *Bellum perniciosum.*
6. *Victoria anceps.*
7. *Concordia fallax.*
8. *Senectus misera.*
9. *Mors felicitas.*
10. *Sapientiæ fama perennis.*

Sum-

Summa Moguntinæ Eccleſiæ felicitate ſedit an. 27. mortuus an. 1582. Eccleſiam gubernârunt ea ætate Pontifices Marcellus II. Paulus IV. Pius IV. D. Pius V. & Gregorius XIII.

LVIII. WOLFGANGUS. ELECTOR XLII.

Wolfgangus in Vangionibus & Nemetibus antiquo Camerariorum, aliis Dalbergorum, ſtemmate ortus, in Spirenſi ſimul & Moguntina æde principe eminuit Canonicus, ac lapſo tempore utrobique Præpoſitus. Lectus denique Archipræſul, dum Canonicorum alij Julium Herbipolenſem Epiſcopum judicârunt poſtulandum, inſigne tulit enconium, Julium & ipſe ſibi longè anteferendum clamitans. Mox dein Auguſtam ad Comitia Imperij publica vocatus, cauſam geminam eámque perdifficilem juvit diſcutere, quarum altera Heterodoxorum querelas, altera Gebhardi Archiepiſcopi quondam Colonienſis ad Lutheranorum connubia veriùs, quàm religionem transfugium ſpectabat. Sebaſtiani & Danielis Anteceſſorum ſuorum veſtigiis gnaviter inſiſtendum ratus, infectos novitatibus libros procul Catholicorum oculis removeri mandavit, non alia de re locutus jucundiùs, quàm de reductione in errores lapſorum, quibus & ipſe ſuccurrit conſiliis & auxiliis potentiſſimus. Præbuit ea res anſam Calvini & Lutheri aſſeclis, rumore & libellis infamibus proſcindendi Societatem JEſu, à Sebaſtiano, Daniele & Wolfgango maximi habitam, quod horum ultimus oſtendit maximopere, teſtimoniis publicis adverſariorum commenta refellens, & Virorum Principum auxilia ea ſuper re implorans. Unde ad Regem Poloniæ etiam dedit literas ob commentum Provinciæ Societatis Polonicæ irrogatum à Germanis Calvininanis. Inter maximi nominis Principes, quos eo tempore Moguntia fuit venerata, fuerunt Philippus & Ferdinandus, Guilielmi Ducis Bavari filius uterque, magna Wolfgangi voluptate in Athenæo Societatis publico virtu-

virtutibus & literis navans operam: quibus accessit Carolus Serenissimi Lotharingiæ Ducis filius Metensis Episcopus in Canonicorum Moguntinorum Album tum temporis relatus. Compendio dicantur multa. Quod belli & pacis tempore desiderari ultra poterat in Wolfgango, non erat: hostis enim cùm nunc instaret cominus à Romana Ecclesia fugitivus, aut eminus in Hungaria Mahometanus, muneri suo Elector examussim satisfecit. Interea prægravi senectute domi detentus in sua provincia, nihil non egit, ut Ecclesiæ, Imperij & suam causam ageret. Serarius Wolfgangi gesta clausit hac coronide: *Funebr. m habuit concionem R. D. Ioan. Elgardus SS. Theologiæ Doctor ejusdémque Principis Sacellanus. Multa de illo dixit, oculatus ipse testis, præclara. I. Quòd in ægritudine illa sua, cùm quadragesimale ageretur jejunium, nulli aut Medico aut alteri carnium esum suadenti cedere voluerit. II. Quòd quotidianas Canonicásque precationes omni omnino die, ne in lethali quidem morbo eas intermittendo diligenter precatus. Et hic memini Oratorem, justo quodam dolore commotum, in eorum teporem ac desidiam Clericorum invectum, qui nulla sæpe aut levi certè causa domi v. l foris, Officii statúsque sui prorsus immemores, Sancto illi Sacrarum precum debito non satisfaciunt. III. Quòd admodum demissè, magnóque cum animi dolore de peccatis confessus sit, idque audio, illum etiam solitum antea observare & à Confessario Patre, ut sese moneret, ac reprehenderet liberè, petere: peccatorem enim se esse, DEI vices illum sustinere. IV. Cùm damni aliquid segetibus à feris inferri querela ad eum venissent: malo, dixit, ferinis perpetuo carere carnibus, quàm detrimento affici subditos.* Diem suum obiit an. 1601. postquam sedit an. 19. sub Pont. Gregorio XIII. Sixto V. Urbano VII. Gregorio XIV. Innocentio IX. & Clemente VIII.

SECULUM XVII.

LIX. JOANNES III. ELECTOR XLIII.

JOannes Adamus ex illustrissima Bikiorum stirpe germen nobilissimum Herbipoli & Moguntiæ mansuetioribus & severioribus instructus literis, Franciam & Italiam petiit, ubi ob corporis venustatem & præclaram indolem uno alteróve in hospitio

tentatus ; vicit & triumphavit lacrymîs etiam deteſtatus laſcivorum inſidias. Moguntiam reverſus, & an. 1595. Scholaſtici, ut appellant, officio honoratus, à perpetuis conſiliis fuit Wolfgango Electori ; ubi jam tum rem in Eychfeldia Catholicam promovit, & Heiligenſtadienſe Societatis JESU Collegium auxiliis firmavit eò loci Legatus miſſus. An. 1601. ætatis ſuæ 36. electus Archipræſul, quà verbis, quà factis ſeſe præſtitit cunctis pretioſiſſimum. Commodè an. 1602. promulgatum Jubilæum Electoris hujus monſtravit exempla inſignia : in æde enim ſacra exhomologeſi luſtratâ conſcientiâ, DEum Euchariſticum è ſui Suffraganei manibus accepit, id facientibus Canonicis & civitatis primoribus, ac demum populo numeroſiſſimo. Aliàs verò ſolenniori modo ad Aram ipſe operatus, aut Proceſſionum publicarum Ducem aut Comitem ſe exhibens, poſt ſe attraxit latè circumfuſos populos, & quidem etiam Heterodoxos. In hos qualis fuerit Adamus, palàm oſtendit diſceptatio publica præſente Chriſtianiſſimo Rege & Electore hoc ab Ebroicenſi Præſule ſimúlque Calvinianorum coryphæo Pleſſio inſtituta: ejusdem enim diſceptationis ſynopſin è Gallico in latinum idioma translatam, ac nomini ſuo dedicatam tam magni fecit, ut detracto è digitis annulô pretioſiſsimo offerentem ſibi devinxerit, palàm teſtatus, placere ſibi maximopere argumenta adversùs novatores propoſita. Libros è contrario novis placitis infectos Vulcano conſecrari, vel ſaltem removeri mandâvit, & plurimos, niſi communia eáque ſacra Romana præplacerent, à Catholicorum menſis excluſos voluit. Zelum Electoris ſui ardentiſsimum laudârunt maximè Comitatus Königſteinianus & Reineggenſis, in quibus Catholicæ Religionis præclara jecit fundamenta, & Electorali ſua præſentia, quò minùs ſe opponerent, abſterruit Heterodoxos; excitavit verò ad conſtantiam Orthodoxos. Igitur nihil magìs, quàm longè majorem inter vivos ætatem deſiderârunt omnes boni in Electo-

re

ſe hoc, de quo dicebant, conſummatus in brevi explevit tempora multa, 3. nempe annorum compendio vivis eſt ereptus an. 1604. ſub Leone XI. Pont.

LX. JOANNES IV. ELECTOR XLIV.

JOannes Schvvicardus perquam nobilis & antiquæ familiæ de Cronenberg decus, in Germanico Romæ Collegio virtutibus & literis juventutem exornavit. In patriam reverſus ab Archipræſule Wolfgango conſtitutus eſt in ſpiritualibus Vicarius, à Metropolitanis verò delectus Scholaſticus, dehinc Decanus, ac demum Archiepiſcopus an. 1604. Inter Electores Moguntinos poſtremus fuit omnium, quos aliorum authorum potiùs, quàm ſuo teſtimonio celebratos nobis reliquit Serarius. Pauciſſima cur de eodem ſcripſerit, cauſa fuit, quòd ſcribentem abſterruerint & viventis Antiſtitis modeſtia, & Hiſtoricorum multorum regula, qua cautum ſibi dicunt, ut non niſi mortuorum geſta ſcribant, ne adulationis incurrant notam. In compendiis etiam *ex ungue Leones* oportet cognoſcere: tantus verò fuit Schvvicardus *Leo*, ut ſupremas in orbe *Aquilas* Rudolphum II. & Matthiam Auguſtos fratres ſua potiſſimùm authoritate denique conciliaverit. Eminus & cominus contra *Pſeudoleones* in Bohemia indutus armis, inter Victores Principes meritò potuit numerari: eapropter â Chriſtiano Brunſuicenſi Duce poſt Pragenſem cladem bello vexatus duriſſimè, Joannem Tillium ſuum laudavit liberatorem. Genuinos dein æſtimare & promovere doctus *Leones* Schvvicardus, rejecto ſuâ etiam ſententiâ Friderico Bohemorum ſeditioſorum anteſignano, *Leonem Bavarum*, Maxilianum I. ſuo calculo elegit Imperii Dapiferum. Amicis igitur *&* *Aquilis* *&* *Leonibus* tutus atque ſecurus, nec latum unguem ceſſit Acatholicis, difficilia ſanè paſſus tempora, ubi nimirum per annos 30. continuos bellum pro aris & focis à nonnullis Pſeudo-Chriſtianis, Heterodoxis, & Mahometa-

nis in id unum conspirantibus susceptum est, ut si non penitus solo æquare, saltem multis modis & machinis concussam intueri liceret Romanam Ecclesiam, ut Romanum Imperium. Annus Schvvicardo fuit ultimus 1626. Sedit itaque annis 22. unà cum Pont. Paulo V. Gregorio XV. & Urbano VIII.

LXI. GEORGIUS FRIDERICUS. ELECTOR XLV.

GEorgius Fridericus de Greiffenclau ad Rhenum ex antiquo & perillustri sanguine natus, suis laude dignissimis gestis eundem maximopere exornavit: vestigiis enim Richardi avunculi sui prioris seculi inter Trevirenses Archiepiscopi præclarè institit ab ineunte ætate, cùm primùm Moguntiæ Canonicus, mox verò præpositus, dein Wormatiæ Episcopus, & demum Moguntiæ Archiepiscopus est promulgatus. Inter præclara opera Friderici numerandum venit Imperatoris mandatum, vulgo *Edictum Restitutorium* nuncupatum, quo Heterodoxi in Imperio Viri Principes restituere sunt jussi adempta Ecclesiæ jura & bona: unde natus est tumultus inter malæ fidei possessores maximus, jure belli ea sibi debere vociferantes, & ampliora desiderantes. Annis non nisi 3. Moguntinam rexit Ecclesiam Fridericus sub Pontifice Urbano VIII. an. 1629. jam mortuus, cui longius ævum optârunt non modò Viri clarissimi ex Greiffenclauiensium genere oriundi, atque inter Moguntinos celeberrimi, sed in Ecclesia & in Imperio omnes boni.

LXII. ANSELMUS CASIMIRUS. ELECTOR XLVI.

ANselmus Casimirus perillustrium Equitum cognomento Wambold de Umstatt dictorum insigne decus, inter totius Germaniæ hostiles strepitus est promulgatus, omine nequa-

quaquam fauſto: patiendum namque & agendum fortiter eo ipſo armorum ſtrepitu dici ritè exiſtimavit ſibi, tanto tempore eris Antiſtes, quanto tempore ignis Martius Romanum turbabit Imperium. An. 1631. à Suecis Moguntiâ Coloniam auffugere compulſus, ex triſtibus nuntiis intellexit, Aſchaffenburgum, Höchſtium, Bingium, & Germershemium ab hoſtibus eſſe expugnata & occupata. Mox ſecutus nuntius prioribus triſtior, cedentibus Hiſpanis Moguntiam etiam Suecis eſſe traditam, cives graviſſimis tributis onerari, agreſtem plebem Moguntino Archipræſuli ſubditam duriſſimè haberi: paucis multa, Heterodoxorum hoſtium arbitrio univerſas Moguntini Electoris ditiones eſſe relictas, referebat. Anno 1635. Moguntiam ſtratagemate liberaturi Duces Cæſarei & cives, incaſſum laborârunt triſtiſſimo rei eventu: agreſtium enim non nemo Secreti hujus conſcius, & à Suecis interceptus, dum dolum aperuit, civium plurimis exitium peperit. Eodem tamen anno reſtituta Moguntia, anno tandem 1636. reducem ab exilio recepit Archipræſulem, qui eo ex tempore variam tulit belli aleam, nunc his nunc illis preſſus hoſtibus, quos ſuis etiam intervallis diſtinxit Mars amicus, ſi qua tamen poſſit eſſe Marti ſincera amicitia. *Nulla ſalus bello pacem depoſcimus omnes*, creberrimè exclamavit Anſelmus, inter bella tamen mortuus an. 1647. Francofurti dum de pace Weſtphalica inter Imperii arbitros etiam ipſe deliberavit an. Sedis 18. ſub Pontificibus Urbano VIII. & Innocentio X.

LXIII. JOANNES PHILIPPUS. ELECTOR XLVII.

JOannes Philippus perantiqui, & hodie per Europam univerſam clariſſimi Stemmatis de Schönborn Lucifer, à primis ſuis incunabulis inſignia dedit documenta, qua ſit origine natus, & cui bono, nimirum per Eccleſiam & Imperium maximo ſit educatus.

Pacis Weſtphalicæ invito Pontifice unà cum viris Principibus multis ſubſcribere coactus, ex malis plurimis elicuit etiam illud bonum, quo provinciam, Viam Montanam nuncupatam, & jam ſeculis duobus Palatino Electori elocatam, ſolutâ auri ſummâ graviſſimâ redemit. Annis ab inita pace proximis pacis fructus ubique collegit, ut ditiones Moguntinas, quìn in Imperio univerſas ab hoſtibus convulſas conſiliis & auxiliis reſtitueret. An. 1658. Ferdinando III. Cæſari juſtis perſolutis, Leopoldum Imperatorem Francofurti coronavit, ubi ſimul lis inter Electorem Moguntinum & Colonienſem pridem de coronatione Cæſaris exorta, ea tandem lege eſt compoſita, ut ſi ſeculis venturis coronaretur Imperator in urbe Electoris Moguntini juriſdictioni ſubjecta, coronam Auguſto imponeret Moguntiæ Elector; ſi verò urbs alia Colonienſi Archipræſuli ſubdita ſimilem conſequeretur honorem, coronâ Imperii Imperatorem exornaret Antiſtes Colonienſis. Si tandem urbs neutrius poteſtati mancipata coronando Imperatori idonea deligeretur, honore alterno gauderet nunc Elector Moguntinus, nunc Colonienſis. Diſcordias etiam Erfurdiæ ab annis multis permoleſtas eo tandem ſuſtulit fructu, ut privilegio libertatis Imperialis privatam penitus fecerit ditionis ſuæ, ſola religionis libertate civibus relicta. Diſſidium dein inter Electorem Moguntinum & Palatinum de jure venationis motum facilè diſcuſſit Philippus. Plurimis aliis tum Eccleſiæ, tum Imperij cauſis ritè componendis eſt adhibitus, Pontifici & Imperatori pretioſus Antiſtes, qui nullis difficultatibus abſterritus crebrò dixit: *Dii laboribus omnia vendunt*, unde ejuſdem aula glorioſo nomine *Aula laborioſa* paſſim eſt nuncupata & laudata. Cùm verò poſt abſolutos crebrò labores glorioſos adeſſent, ùt fieri amat, adulatores aulici, cum ſtomacho quamprimum rejecit, dicere ſolitus: *non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* An. 1673. Sedis 27. agoni proximus inter alia multa notatu digniſſima dicta illud non fuit poſtremum, quo pronuntiavit: *DEO, in cujus conſpectu ſto, notum eſt, quòd Eccleſiæ, Imperatori & Romano Imperio*

con-

conſtanter ſervire amârim. Sedit ſub Pontificibus Innocentio X. Alexandro VII. Clemente IX. & Clemente X.

LXIV. LOTHARIUS FRIDERICUS.
ELECTOR XLVIII.

Lotharius Fridericus ex Comitum de Metternich multis iiſque clariſsimis infulis, aliiſque tum Eccleſiæ tum Imperii nobiliſsimis inſignibus exornata proſapia ortus, ſuis meritis maximis conſecutus eſt Paſtorale Pedum Spiræ, Wormatiæ & demum Moguntiæ. Tantos honores & vitam diuturniorem invidiſſe Lothario viſi ſunt Galli, qui eodem anno 1673. quo lectus eſt Archipræſul, Aſchaffenburgum occupârunt dolore Electoris ſui maximo. Præfecturam etiam Bökelhemienſem cedere juſſus ab Imperatore Electori Palatino, afflictionem tulit alteram. Tertiam addidit mors repentino apoplexiæ malo ſternens Lotharium, cujus agonizantis ultima verba totius vitæ compendium & teſtimonium hæc fuêre: *in manus tuas Domine commendo Spiritum meum.* Sedit an. 2. ſub Clemente X.

LXV. DAMIANUS HARTADUS.
ELECTOR XLIX.

Damianus Hartadus Caroli Caſpari Electoris Trevirenſis Germanus frater, perantiquam familiam ſuam Baronum de Leyen non minùs, quàm alii plures vel infulis excelſi, vel togâ ſagóque illuſtres decoravit. Eam igitur ob cauſam Wormatiæ Epiſcopus electus, & Moguntiæ Archipræſul creatus, plura præclaris deſideriis, quàm opere præſtitit, non niſi 3. annorum Elector; quo temporis ſpatio Succeſſoribus magnificam extruxit Moguntiæ Sedem: cui proinde dixerunt mortuo: *Sic vos non vobis nidiſiatis aves.* Multis ſuis egregiis factis, quorum tamen

men non niſi obſcuram habemus notitiam, non propriam, ſed divini Numinis gloriam ſcopum præfixiſſe ex eo conjicere licet facilè, quòd in agone ultimo nunquam non repetendum ſibi putaverit illud, quod Eccleſia Orthodoxa continuò repetit, dicens: *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.* Mors vivis eripuit an. 1678. ſub Pont. Innocentio XI.

LXVI. CAROLUS. HENRICUS. ELECTOR L.

CArolus Henricus de Metternich Lothario Friderico Moguntiæ Electori abhinc annis 4. defuncto ſanguinis propinquitate ſimúlque morum & ſtudiorum conformitate conjunctus totidem, quot ille, vixit annos, an. ætatis 57. jam ſepultus, decem menſium duntaxat Elector. De Eccleſia ſimul Moguntina & Trevirenſi optimè meritum dixerunt præſertim Canonici illi, qui primò utriuſque Eccleſiæ cuſtodem, mox verò Moguntiæ, ùt vocant, Chori-Epiſcopum, & demum Archipræſulem elegerunt. De Imperio non minùs optimè meritum dixit teſtis maximus Leopoldus Imperator, qui Carolum hunc ob varias legationes laudatiſſimo modo obitas, & præclara alia in Rempublicam merita Imperii Comitibus annumerandum cenſuit. Cæterùm quantam Elector hic fiduciam in DEum conceperit, verbis propriis inſtar Symboli frequenter adhibitis manifeſtavit, dum dixit: *ſpe fretus divina, ſaltando ſuperabo mœnia.* Saltus tamen aut lapſus immaturus nimis præcipitem egit in ſepulchrum an. 1679. ſub Innocentio XI.

LXVII. ANSELMUS FRANCISCUS. ELECTOR LI.

ANſelmus Franciſcus ex clariſſima familia Rhenana de Ingelheim mundo natus, in Moguntina æde Cathedrali diverſos conſcendit honorum gradus, quos inter Archipreſbyteri

byteri non fuit poſtremus. Erfordiæ exinde urbi Adminiſtrator datus, multis virtutibus ſuis ampliùs illuſtravit aliàs jam præclarum nomen. Creatus denique Moguntiæ Elector inimica ſuſtinuit fata, primò intentata, & mox inflicta à Gallis Germanorum hoſtibus, à quibus Sedem relinquere ſuam coactus, Erfordiam aufugit, ubi per annum commoratus inter ſpem metúmque hæſit. An. 1689. à Cæſareis copiis Solio ſuo reſtitutus, venit inde Auguſtam Vindelicorum, ubi coronîs regiîs Auguſta Capita, nimirum Joſephum Romanorum Regem, & hujus Genitricem Eleonoram Magdalenam exornavit, rebus multis aliis in Imperij emolumentum ibidem compoſitis. Annis reliquis unum, quin & alterum ſibi delegit Adjutorem, quorum primus Ludovicus Antonius Dux Palatinus in flore ætatis an. 1694. eſt defunctus, ſingulari Moguntinorum, Wormatienſium, & Leodienſium, quibus jam priùs Epiſcopus præluxit, luctu ac mœrore. In hujus igitur locum vocavit ſibi in officio arduo Adjutorem, quem etiam hodie demiſſiſſimè veneramur Lotharium Franciſcum, cui Anſelmus poſt Sedis annos 16. an. 1695. quævis in terris reliquit onera, & munera. Sederunt Pontifices Innocentius XI. Alexander VIII. & Innocentius XII.

LXVIII. LOTHARIUS FRANCISCUS. ELECTOR LII.

LOtharius Franciſcus inter ſydera Schönbornenſia, ut ita dicamus, in cœlo Eccleſiæ militantis, & Imperii Romani pugnantis ac certantis, jam pridem, hodiéque luciſſima, Eccleſiam Bambergenſem an. 1693. majori ſuo lumine cœpit illuſtrare, lectus eodem tempore Epiſcopus. Idem anno, uti dictum ſuperiùs 1649. Moguntino Archiepiſcopo Coadjutor, ùt vocamus, exoptatus perbene, an. 1695. extincto Anſelmo Electore tanquam clariſſimo lumine inter primæ magnitudinis ſy-

dera in Eccleſia & Imperio quaquaverſum ſuos emiſit radios, domi foriſque, eminus & cominus, conſiliis & auxiliis potentiſſimus. His pauciſſimis lineis, hoc aliiſque huic ſimilibus locis contentus, de vivis haud pergam ſcribere; calamum tamen non excutiam, ſed atramento, aut meliùs, colore pretioſiſſimo ſervabo plenum tempori, ut nimirum poſteri poſt fata Lotharii aliorúmque Virorum Principum unà cum pictoribus egregia mortuorum facta poſſint ſcribere, & pingere literis aureis. Interea vivis vitam optare longiſſimam, ſit inter prima Hiſtorici deſideria, utpore in cujus votis ſint Virorum Principum non tam fata ultima, quàm facta optima.

PRÆ-

PRÆFATIO

AD LECTOREM

BREVISSIMA.

SEries Moguntiæ inter Germanas eásque ſacras prima, trahit poſt ſe Seriem alteram, Trevirenſium nempe, quam paucis expediendam eſſe ſum ratus, exemplo ductus Patrum duorum Brovveri & Maſenii, aut alterius certè, cuius nimirum compendiaria Archiepiſcoporum ſimul & Electorum Trevirenſium Series ad manus eſt. Æqui igitur boníque, utì ſperare fas eſt, conſulet Lector Benevolus, ſi ex dicto Archiepiſcoporum Trevirenſium compendio non pauca ſparſim accipiam verba, quoniam authoris non diſplicet brevitas, & claritas, & ſtylus, & veritas, nec tandem aliud ſuadet neceſſitas.

SERIES EPISCOPORUM TREVIRENSIUM.

PERIODUS I.

SECULUM PRIMUM.

I. D. EUCHARIUS.

DIxit præclarè Poeta: *& documenta damus, qua simus origine nati.* Clarissima sanè est origo, & paria sunt documenta trium Episcoporum inter Germanos ferè Principum, de quibus accipe Lector sequentia. D. Eucharius ex 72. Discipulorum numero Christi Discipulus, anno post reparatam Salutem 50. à D. Pontifice Petro cum Diacono D. Valerio & Subdiacono D. Materno ad Germanos missus, venit in Alsatiam, ubi in villa, quam *Ell* populares nominârunt, D. Maternus repentè succubuit morti. Sepulto socio ter-

tertio bini properè Romam repetiêre. Verùm à D. Petro novis documentis instructi, & ocyùs in Germaniam remissi, dum ad Ellensem villam rediêre, & præscriptâ verborum formulâ Maternum è sepulchro evocavêre, subitò dictis obediens surrexit redivivus. Inde Mosellam versus iter aggressi, eodem secundo flumine Treviros descenderunt, futuri omnes ibidem Episcopi. Horum primus Eucharius vix metam attigit, mox ab Albana vidua prædivite in domum susceptus, eò magìs placuit, quòd ejusdem filium paulò antè è vivis ereptum matri vivum reddiderit. Horum aliorúmque multorum ad Christum conversioni post annos circiter 20. Trevirensis Senator accedens, præcipuam urbis maximæ partem exemplo potentissimo traxit: unde magnificum templum erectum, copiosissimum attraxit populum; minimè ùt quondam pertinacem & reluctantem: priùs enim cùm ad confertam multitudinem minùs tum grata diceret Eucharius, & jam multis lapidibus peteretur, subitò omnium obriguêre manus eò usque, donec denique Superi auditis D. Episcopi precibus membrorum usum miseris mortalibus reddidêre. Animam Deo reddidit pretiosissimam die 8. Decemb. an. Christi 73. cum sedisset Episcopus an. 23. Agonizantis cubiculum lux clarissima illustrans, dissipavit multorum tenebras.

II. D. VALERIUS.

EX divina Schola non Discipulum ampliùs, sed Magistrum prodiisse & venisse in Germaniam abundè dictum. Successor D. Euchario non tam ab homine, quam à Deo electus, Trevirensibus annis 15. Episcopus placuit: unde eidem & vivere & mori absque sanguine datum est. Confessorem itaque an. 88. 29. Januarii mortuum in eadem sepeliêrunt æde, quam vivis & mortuis erexit D. Eucharius.

SECULUM II.

III. D. MATERNUS.

QUalis quantúsque fuerit D. Maternus, docuêre jam gesta D. Eucharii superiùs compendio data. Coloniensibus simul & Tungris Apostolus missus, vitam vixit Apostolicam, & vivere docuit Christianam. Annis tot vixit Episcopus, quot diebus in sepulchro delituit, mortuus nimirum 40. Anno itaque alterius Seculi 28. dum Coloniæ in cœlos evolavit beata anima, corpus miraculis conspicuum Coloniâ Treviros ascendit, ut quos DEus conjunxit inter vivos, mors non separaret inter mortuos.

IV. D. AUSPICIUS.

D. Materno in Sede Trevirensium successisse D. Auspicium, Author & testis est Methodius, cujus testimonio persuasi Martyrem dîcimus, & testanti Ecclesiæ credimus; quo autem mortis genere aut tempore mortem Martyr gloriosus vicerit, ignoramus.

V. D. CELSUS.

POst S. Auspicium felici sorte auspicatus Episcopatum Trevirensem S. Celsus feliciori morte finiît: postquam videlicet non nisi 13. annis, cum multis jam Christianorum hostibus, armis certavit sacris, inter Martyres Dux stetit dum cecidit an. 142. 23. Februarii. Seculo dein X. ejusdem reliquias Egbertus Archipræsul laudatissimus è sepulchro eruit, atque in editiori loco collocavit, quibus debitum suum honorem exhibendum esse suaserunt miracula, nimirum & odor & ignis cœlestis, cùm hic illæsas servaret, ille infirmis vires & spiritum daret.

VI.

VI. D. FELIX.

ANtonius cognomento Pius Imperator imperavit, dum S. Felix Trevirenſem Eccleſiam Epiſcopus gubernavit, pacis tempore multis recreatus animarum fructibus: ſemen namque Romanæ Fidei, authore etiam D. Felice per Germaniam & Galliam longè latéque ſpargebatur D. Pio Pontifice, ut id fieret, plurimùm hortante, & uberem benedictionem impertiente. Quin ut augeretur ſemen, ſanguinem ſuum fuderunt & Pius & Felix, dum Marcus Aurelius, aut veriùs frater Lucius Verus præſides ſuos Chriſtianorum hoſtes acerrimos per provincias Romanas vigiliarum, inquiſitorum & tortorum more diſtribuit & collocavit, ut Chriſtianorum aras everterent, & ſeveriſſimas pœnas de earundem præſertim authoribus exigerent. Lucio Vero ſuccedentibus tyrannis pluribus, tametſi Epiſcoporum Trevirenſium aliorúmque Series non ſit interrupta, de geſtis tamen & eorundem annis haud conſtat ſatìs; unde ſolis Epiſcoporum nominibus Lectorem oportet eſſe contentum.

VII. S. MANSUETUS.

VIII. CLEMENS.

IX. MOYSES.

X. S. MARTINUS M.

SECULUM III.

XI. ANASTASIUS.

XII. ANDREAS.

XIII. RUSTICUS I.

XIV.

XIV. D. AUTOR.

D. Author à Mariano & Methodio breviſſimè, ſed ſimul maximè laudatus Epiſcopus, ſæviente Maximino Thrace inter ſocios Sacerdotes multos cecidit Martyr digniſſimus, cujus reliquiæ Brunſuigum, & inde Paderbornam venerationis causâ transferrentur.

XV. MAURITIUS, aliis Fauritius, mort. an. 244.
XVI. FORTUNATUS.
XVII. CASSIANUS.
XVIII. D. MARCUS.
XIX. D. NAVITUS.

Ex allato hactenus Epiſcoporum numero Methodius collegit 16. Martyrio inſignes.

XX. D. MARCELLUS.

D. Marcellus cum Epiſcopis Succeſſoribus incidit in difficillima tempora, quibus Diocletianus & Imperii Collega Maximianus Herculeus per Rictium Varum præſidem Treviris præſertim in Chriſtianos ſeveriſſimè juxtà ac crudeliſſimè ſævierunt: aliàs nimirum ſæpe, & præcipuè per tridui aliquando ſpatium in campum Martium educti, aut pecorum more per portas urbis expulſi, & Diis thus adolere juſsi Chriſtianorum propemodum innumeri, cùm inter unius Divini Numinis laudes conſtanter perſeverâſſent, ad unum omnes variis ſuppliciis torti & enecti, denique in Moſellam fuerunt demerſi; unde fluvii undæ per ſex leucarum ſpatia ſanguineo colore rubuiſſe perhibentur. Porro Martyrum horum incredibilem copiam die menſis Octobris ſexta ſub

Mar-

Martyrum innumerabilium titulo celebrare statuit Christiana posteritas. Inter Martyres unà cùm D. Marcello & Collegis Senatoribus eminuit D. Palmatius Consul; Senatorum verò nomina testantur fuisse sequentia: Maxentius, Constantinus, Crescentius, Justinus, Leander, Alexander, Sotor, Hormista, Papyrius, Constans & Jovinianus, omnes origine, & fortè nativitate Romani clarissimi. Annus D. Marcelli ultimus scribitur esse annus Christi 277.

XXI. S. METROPOLUS.

SECULUM IV.

XXII. S. SEVERINUS I.

XXX. S. FLORENTINUS.

XXIV. S. MARTINUS II.

XXV. S. MAXIMINUS.

S. Maximinus circa annum Seculi IV. duodecimum Treviris præsentem veneratus est Imperatorem Constantinum M. qui haud procul inde, ut certè in Gallia ex testimonio tam antiquorum, quàm recentiorum Historicorum communissimo, signum sacratissimæ Crucis in aere divinitus efformatum, & his aut similibus literis exornatum vidit: *in hoc vince:* aut *in hoc signo vinces.* De anno obitûs S. Maximini vix bene constat; sanctâ extinctum morte an. 322. existimant.

XXVI. S. VALENTINUS.

De memoratis hactenus Episcopis Trevirensibus vide Tomum Brovveri I. & II. atque in his documenta longè plura Ecclesiæ Trevirensis.

SERIES ARCHIEPISCOPORUM ET PRIMATUM TREVIRENSIUM.

PERIODUS II.

XVII. D. AGRITIUS I. ARCHIEP.

D. Agritius Antiochiâ Romam D. Helenæ nutu evocatus & auxilio translatus, D. Sylveſtro Romano Pontifici adeò pretioſum ſe exhibuit, ut ab eodem Supremo Epiſcopo literas acceperit teſtes Primatus ſui, quem à principio ſuo Anteceſſores Epiſcopi jam tenuiſſe creduntur. Mutata deinde tempora mutaverunt non parùm rem Trevirenſium per Germaniam & Galliam, Imperatoribus & Regibus ab antiquo more rem diverſam petentibus Romæ, & facilè impetrantibus. Cæterùm D. Agritius Treviris omni ex parte confirmatus, ex domo, quæ erat in urbe princeps & regia, Metropolitanam formavit ædem, cujus etiam hodie reliquiæ & monumenta ſuperſunt: palatium verò Conſtantini M. Imperatorium, in Eccleſiaſticorum Virorum domicilium S. Maximini nomine poſtea inſignitum, metamorphoſi feliciſsima eſt converſum. Templa duo alia authore Agritio, impenſis D. Helenæ ſunt excitata, alterum nempe in colle S. Crucis, alterum juxta portam cognomento *Albam*, aut hodie *Altam* dictam: teſtium loco ſint rudera & ruinæ. Chriſti togam inconſutilem ab Agritii ætate ad noſtra usque tempora Treviris conſervari, non audent negare ipſi etiam Reliquiarum ſacrarum oſores. Annos circiter 8. Treviros gubernavit Agritius, ſepultus in monaſterio S. Maximini an. 335.

XXVIII.

XXVIII. S. MAXIMINUS. II. ARCH.

S. Maximinus ab Agritio inter vivos superstite exoptatus jam Successor, contra Arianos Apostolicæ & Nicænæ Fidei hostes acutissimos & acerrimos propugnator extitit; Sardicensis in Thracia Concilii præsens arbiter, & primæ fortè author contra Arianos latæ sententiæ. D. Athanasius Alexandriæ Patriarcha Constantinopoli Treviros usque, prævalentibus apud Imperatorem inimicorum insidiis, in exilium missus, Maximinum inter celeberrimos sui ævi Antistites numeravit. Quin maximi fecerunt Magnentius & Decentius tyranni à D. Maximinio meliora educti, quem ad Constantinum miseruut Legatum, at de Legati sui in via mortui obitu nuntium acceperunt re, quam transigendam commiserant, plurimùm infecta. Quanti sit habitus suo tempore, non in Occidente tantùm, sed in Oriente etiam, ex Socratis Historici antiquissimi testimonio, quòd Parisiis Pithæi Bibliotheca etiam in lucem prodidit, liceat paucis intelligere. Arianorum in Julium Pontificem, in Osium Concilii Nicæni Præsidem, & in alios maximi nominis Archiepiscopos conceptum odium ex his colligitur verbis: *Julium urbis Romæ, Osium & Protogenem & Gaudentium & Maximinum à Treviris damnavit omne* (Arianorum) *Concilium, secundum antiquissimam legem; ut authores communionis Marcelli & Athanasii cæterorúmque sceleratorum, quique etiam homicidiis Pauli Constantinopolitani & cruenti: actibus ejus communicaverunt. Nominatim verò Maximinum à Treviris, propter quòd collegas nostros Episcopos, quod ad Gallias miseramus, noluerit suscipere; & quoniam Paulo Constantinopolitano nefario homini ac perdito, primus ipse communicavit, & quòd ipse tantæ cladis causa fuit, ut Paulus ad Constantinopolim civitatem revocaretur, propter quod homicidia multa facta sunt. Causa igitur homicidiorum tantorum ipse fuit, qui Paulum olim damnatum ad Constantinopolim revocavit.* Pseudo Arianorum concilio opponantur Synodus Coloniensis, & D. Servatii gesta posteris hunc in modum relicta: *quanto Maximinus studio pro conservanda fidei integritate excubârit, aliàs etiam demonstravit, cùm Agrippinæ Synodali evocato conventu Euphratem Episcopum hæretica pravitate corruptum, cum his, qui frequenter convene-*

rant Pontificibus, gradu movit, Ecclesiasticâ usus censurâ. In Aquitania, quo negotiorum gravissimorum causâ abiît, post sedis annos 15. è vivis excessisse proditum est memoriæ. Cadaver inter miracula populum ad venerationem tanti Archipræsulis excitantia Treviros translatum est an. 351. E miraculorum numero esse censentur paralysis prope Mosomagum ægro depulsa, & malignus spiritus Ivodii ex obsesso corpore fugatus.

XXIX. D. PAULINUS III. ARCH.

D. Paulinus ex Aquitania ad D. Agritii disciplinam Treviros accessit unà cum S. Maximino, utriusque in Archiepiscopatu Trevirensi Successor dignissimus: Treviris namque vigilantissimi Pastoris munere functus, Arianos in Pseudo-Sirmiensi Synodo eminus impugnavit, & in Mediolanensi Concilio cominus expugnare laboravit, ejectus hanc ob causam à Constantio Arianis addictissimo Imperatore in exilium. In Phrygia anno exilii 4. placidè vitam finiît, aut aliorum testimonio, jubente Constantio capite plexus est an. 358. *Vide Trithemium & Browerum.* Argumento virtutis & sanctitatis Paulinianæ sint verba à DD. Athanasio & Hilario relicta: Athanasius in epist. ad solit. ita orditur, aut veriùs prosequitur epistolam: *cum deinceps & verbis & sententiis inhærent, séque arbitrantur plurimis insidiari, non animadvertunt, se plures facere Confessores. Ex quo numero clarissimæ fuerunt confessionis Viri Religiosi & Episcopi boni, Paulinus Episcopus à Treviris (quæ Galliarum Metropolis est) Lucifer Metropolitanus Episcopus Sardiniæ &c. &c.* D. Hilarii sententia contra Constantium Imperatorem pro D. Paulino his sequitur verbis: *At nunc fructus operum tuorum, lupe rapax, audi. Postquam omnia contulisti arma adversùs fidem Occidentis, & exercitus tuos convertisti in oves Christi, refugere nihil sub Nerone licuit. At tu Paulinum beatæ passionis Virum, blandimento solicitatum relegâsti: & Ecclesiam sanctam Trevirorum, tali sacerdote spoliâsti: edictis fidem terruisti, ipsum usque ad mortem demutâsti, exiliis & fatigâsti! extra Christianum quoque nomen relegâsti: ne panem aut de horreo tuo sumeret, aut de Montani Maximillæq; antro profanatum, exspectaret.* Ex Oriente

riente in Occidentem Treviros usque transtulit ossa D. Paulini miraculis conspicua, S. Felix II. Pontifex Romanus.

XXX. D. BONNOSUS. IV. ARCH.

D. Bonnosus quamvis clarissimos inter Trevirensium Archiepiscopos annis 24. continuis locum vindicârit sibi, in Divorum Album referri etiam meritus, brevissimo nihilominus encomiorum compendio hoc à Brovvero posteris commendatur: *S. Bonnosius, sive Bonnosus: sub quo à Valentino Imper. Treviris commorante obtinetur, ne, quòd invaluerat, Christiani ab actoribus die Dominica convenirentur. Quod sanctione decretum est. Demum Bonnosius, postquam annis pluribus sanctè præsedit, Treviris moritur. Sepultus est ad S. Paulinum.* Si itaque D. Bonnosii sortes humana exanimentur bilance, felicissimum fuisse dicimus, quòd Valentinum Cæsarem clementissimum sibi expertus sit: inter beatas sortes eam fortassis numerare convenit, qua D. Hieronymum Treviris litterarum causâ advenam videre & venerari licuit.

XXXI. D. BRITONIUS. V. ARCH.

D. Britonius ab aliis Brito, aut Britannus nominatus, S. Bonnoso successit in Archiepiscopalis Trevirorum Cathedra; cujus tametsi gesta pleraque literis non habeantur expressa, quemadmodum multorum aliorum Episcoporum, licèt in Divorum Cathalogos relatorum, variis tamen Episcoporum Conciliis tum Romæ, tum Treviris ritè celebratis interfuisse legitur. S. Britonii ætate Episcopi Luciferiani Maximo Imperatori adhærebant maximopere, eo persuasi argumento, quòd crederent, potentiâ Maximi Priscilianum in Hispania hæreticum cum sectatoribus quamprimum è medio posse tolli. At fortissimè obstitère DD. Ambrosius, Martinus & Britonius, eò quòd seculari potestati judicium de rebus Ecclesiæ tribuissent Luciferiani schismatici. Annis 4. absolvit Episcopatum an. 386. mortuus.

XXXII. D. FELIX II. VI. ARCH.

D. Felix in ea difficillima incidit tempora, ut quid ageret, aut omitteret, unà cum Episcopis aliis incertissimum haberet. Unde Methodius in hunc maximè modum scripsit: *ea tempestate Felix, tertius post Paulinum Trevericam in Pontificatu sortitus est Ecclesiam, Maximo Imperatore tyranno Rempublicam tunc in his partibus gerente, & Trevirim hæreticorum cladibus pulsante. Tunc B. Martinus Trevirim venit, & cum Felice ruit.* Felix nimirum ab Episcoporum Synodo, Maximi tyranni tanquam supremi judicis partibus addictâ, & electus & ordinatus est D. Martino præsente & connivente: quam ob rem unà cum Felice à cœlesti nuntio reprehensus Martinus, crebrîs lacrymîs pœnitentiæ testibus culpam admissam expiavit. Locum eluendis culpis peridoneum ipse struxit sibi Archipræsul; translatis enim ex Phrygia D. Paulini ossibus ædificavit monasterium, cujus & Ipse membrum nobilissimum est effectus, postquam honores quosvis publicos reliquit. De anno abdicationis vix bene constat: annum mortis 398. legimus. Sulpitius Severus de D. Felice hæc memoravit: *postridie Felicis Episcopi ordinatio parabatur, sanctissimi sanè Viri & planè digni, qui meliori tempore Sacerdos fieret.*

SECULUM V.

XXXIII. MARITIUS II. VII. ARCH.

NOn quanta egerint, sed passi fuerint Mauritius Archipræsul & Successores, compertum est: hæresibus namque passim & sceleribus (ùt jungi consueverunt) toto orbe Christiano exundantibus, DEUS scelerum & hæresum vindex, Gothos, Hunnos, Wandalos aliósque hostes suscitavit. Trevirenses igitur, quòd luxu & ebrietate diffluerent, à Crocho Wandalorum Duce sub Episcopo suo Mauritio ferè sunt excisi penitus, magnificis passim ædificiis subversis. Monasteria nihilominus, & quidem

dem Fœminarum etiam jam ea ætate Treviris floruiſſe, argumento eſt, quòd Baſſula proconſularis vidua, monaſticam iſthic vitam ſit amplexa, & Severus Sulpitius defunćta conjuge ſua Baſſulæ filia, exemplum ſocrus ſuæ ſit ſecutus. Sulpitii domus primùm in pauperum hoſpitium converſa, tandem Baſilicæ ſacræ formam induit. Mauritius Archipræſul curis confećtus & laboribus diem obiît an. 407. 9. an. Sed.

XXXIV. D. LEONTIUS. VIII. ARCH.

D. Leontius ex nobili Pontiorum genere in Aquitania natus, ùt eſt opinio, natales virtutibus illuſtravit, quarum adminiculô elećtus Archiepiſcopus, & in Divorum numerum adſcriptus eſt Divus, Superis tamen, quàm mortalibus notior. Annis 2. præfuit, mortuus an. 409.

XXXV. D. AUTHOR II. IX. ARCH.

D. Author Trevirenſium Sedem conſcendit avibus parùm fauſtis: mox enim altera Francorum adhuc moribus & aris aſſuetorum populorum irruptio tentata eſt, D. Authori mœſtiſſima; cui haud multò poſt acceſſit tertia, *nihilo per clades graviſſimas*, ùt Salvianus inquilinus conqueritur, *melioribus Trevirorum civibus*. An D. Author ex S. Mauri Monaſterio Alſatico Treviros fuerit translatus, dubitari meritò aſſerit Brovverus: Tabenæ illum juxta S. Quiriacum quieſcere, eſt fide dignius. Sepultus eſt an. 427. ſedit. an. 18.

XXXVI. S. SEVERUS. X. ARCH.

S. Severus D. Lupo Trecaſſino miræ ſanćtitatis & dożtrinæ Epiſcopo diſcipulus dedit operam. Diſciplinæ ſocios naćtus eſt Polychronium Virdunenſem, & Albinum Catalaunenſem Epiſcopos, multis præclaris operibus clariſſimos. Et verò in maximo Germaniæ Galliæq; mœrore ea propemodum

dum ſumma ac memoranda fuit felicitas, quòd pleræque provinciarum regiones egregiis fuerint cuſtoditæ Paſtoribus, inter quos Severum meritò ſunt veneratæ. Porro hujus in Chriſti Fide propaganda ardorem, & in curandis ovium ſuarum vulneribus induſtriam, inde intelligamus licet, quòd Apoſtolico Spiritu plenus, non Belgii finibus concludi, ſed finitimus perinde Germaniæ populis ac remotis, & inter hos Brittannis ab orbe noſtro diviſis, operam deſudare ſuam induſtriámque, præclarum duxerit. Plenus itaque virtutibus & meritis terras reliquit an. 455. Sed. 28.

XXXVII. D. CYRILLUS. XI. ARCH.

D. Cyrillus D. Severi Succeſſor Anteceſſori fuit ſimillimus, ſi annos Sedis perpaucos demamus: duobus enim duntaxat Archiepiſcopus fuit, ut eſſet longè pluribus, deſiderium ſui reliquit plurimis an. 457. jam vivis ereptus. In primis voluit eſſe curis templorum deſtructorum reſtaurationem; templis acceſſit S. Eucharii Oratorium, cui adjecit Monaſterium, quod S. Mathiæ nomine nuncupârunt poſteri. DD. Eucharii, Valerii & Materni Reliquiîs locum hunc novum exornavit. Sanctis denique Sanctis ipſe eſt appoſitus an. 457.

XXXVIII. HIMERIUS. XII. ARCH.

HImerius etiam Jamiricus & Jamblychus appellatus, unius duntaxat anni Archiepiſcopus, magnas meritus eſt laudes; ipſum namque in epiſtola ad Arbogaſtem Comitem Trevirenſem datâ, Auſpicius Tullenſis Epiſcopus *Sanctum*, Sidonius verò *Virum conſummatiſſimum* dixit.

XXXIX.

XXXIX. EVEMERUS. XIII. ARCH.

EVemerus Archiepiſcopus annis 3. Germanicas latè provincias bellorum turbîs doluit involvi, & ipſum Occidentis Imperium ſub Imperatore Valentiniano III. ob publica ſcelera penitus collabi. Tumulo illatus eſt Evemerus an. 461.

XL. S. MARUS. XIV. ARCH.

S. Marus annorum 4. Archipræſul inſigni Religionis zelo claruit: teſtimonium dicant verba Brovveri relicta & legenda poſteritati: *Marus majorum literîs, at amiſſis injuriâ temporum celebratus, Deceſſoris Cyrilli veſtigia renovavit; baſilicam namque Virgini Matri à D. Felice extructam, communi verò poſtea urbis incendio ac populatione Hunnorum corruptam raparavit, ſepulturam in æde D. Paulini operis antiqui, nec inelegantis cum multiplici anathemate, hac inſcriptione illuſtrem adeptus:*

Præſul Marus DEO
Dilectus multas
Carne vincens, egit
Virtutes. Cuncta
Ejus vitæ liber
habet.

Librum eum, ùt alia pleraque vetuſtas abolevit. Sed quantùm Vir hic ſanctitate præſtiterit ac morum innocentiâ, innumera prodidêre miracula, quibus ſepulchrum ejus veneratione pleniſſimum, omni ſeculorum ætate glorioſum extitit. Repoſitus in Divorum numero colitur die 26. Januarii an. 465. Treviris ereptus.

XLI. VOLUSIANUS. XV. ARCH.

VOluſianus poſt D. Marum Trevirorum Eccleſiam regendam ſuſcepit à providentia multùm laudatus: Metropolitæ quippe & Primatûs dignitatem, qua D. Agritius à Sylveſtro Pontifice eximiè fuerat ornatus, literis novis in rei antiquioris fidem datis, confirmari & inſtaurari providè curavit, ne

nimirum præmunita recentiori ſigillo dignitas cum interitu urbis ſenſim obſoleſceret. Laudatus ob hoc ab Hilario Pontifice, laudari meretur etiam hodie. Mortuum extulerunt poſt Sedis annum 4. Chriſti 469.

XLII. D. MILETUS. XVI. ARCH.

D. Miletus multorum Epiſcoporum more nomine duntaxat & ſanctitatis titulo notatus, vidit Trevirenſes in jura Francorum, excluſis penitus Romanis Præſidibus, concedere. Haudquaquam inde diminuta poteſtas Pontificis, quin firmiores radices accepit, Francis Politicam Romanorum poteſtatem pede conculcantibus, poteſtatem verò Eccleſiaſticam toto vertice venerantibus. Annis 7. Treviros gubernavit an. 476. mort.

XLIII. D. MODESTUS. XVII. ARCH.

D. Modeſtus an. 3. ſedit Trevirenſium Archiepiſcopus, cujus vitæ compendium vel uno *Sanctitatis* nomine poſteritati eſt commendatum.

XLIV. MAXIMIANUS. XVIII. ARCH.

MAximianus tametſi annis 20. Trevirenſium conſervârit Eccleſiam, non niſi pauciſſimas de eodem tamen dedêre nobis lineas ſeduli in Archiepiſcoporum facta inquiſitores: unde Brovverus hanc expreſſit ſynopſin: *Porrò hinc Eccleſiæ Treviricæ Præfectus Antiſtes Maximianus, qui annum circiter quadringenteſimum octogeſimum attigit, neque interim ullis ad memoriam claris actionibus hi omnes Epiſcopi, quos diximus innotuêre: ut fatiget animum ſucceſſiones has nectere tam crebras, & rerum etiam, quod caput eſt, inanes &c.*

SE-

SECULUM VI.

XLV. S. FIBITIUS. XIX. ARCH.

ANno Salutis 500. D. Fibitius Archipræsul creatus Episcopali munere cœpit inclarescere; ejusdem namque probatam multis egregiis factis Sanctimoniam, patrata etiam post mortem beatissimam miracula prodiderunt. Ossa D. Antistitis in Oratorio juxta Mosellæ pontem sepulta, vel improborum injuriâ, vel religione Christianorum immodica, loco suo amota sunt: nihilominus S. Præsulis in Ecclesia manet & viget memoria perpetua. An. seculi V. 28. mortuus, totidem annos Sedis numeravit.

XLVI. D. APRUNCULUS. XX. ARCH.

D. Apruncuius eximia vitæ sanctitate Treviris adstitisse scribitur. Sepultus est anno Sedis 4. Christi 532. juxta odeum S. Paulini.

XLVII. D. NICETIUS. XXI. ARCH.

D. Nicetius illustri genere, illustriori doctrina & virtutibus à tenera ætate in Galliis excultus, in Archiepiscopum Trevirorum ante alios deligi est promeritus. Cœlestibus signis, in utero matris jam illustratus, dum Sedem arduam invitus conscendit, sensit tergori suo onus nemini visum, longè tamen gravissimum incumbere: at oneri accessit odor cœlestis, ex quo collegit futuros labores ac dolores solatio miscendos. Oneri maximo Archipræsuli erant Theodoberti Regis adulteria, & mores populi parùm probati, quos insigni libertate perstrinxit: Rex enim nec monitis, nec minis emendatus, cùm scelera sceleribus necteret, Sacris à Nicetio est interdictum pervicaci; qui cùm irâ frendens & exæstuans in templum irrumperet, continuò

puer arreptitius Regem adulterum proclamavit, nullis hominum viribus, tametſi Rex imperaret ſeveriſsimè, loco amotus. Arvernenſi dein Synodo, in qua Sacerdotum ambitus ſeverè caſtigatus, & cœlibatus pro viribus imperatus, interfuit. Annis duobus elapſis, B. Aredium Theodoberti Regis familiarem virum, fugere aulam, & Clericis accedere docuit, advolantis columbæ augurio vocationem probante. Circa annum ſeculi hujus 50. Biſchoffſteinium caſtrum in ripa Moſellæ triginta turribus, Oratorio, propugnaculo & æquæ ductibus conſpicuum, futuram Cardonæ Archidiaconorum ſedem ædificavit. Annorum 32. Archiepiſcopus annis tribus vitæ ultimis ſenſit maximopere & onus novum & cœleſte ſolatium: Clotharium enim totius Franciæ Regem dum communione Fidelium, ob inceſtum & parricidium privandum cenſuit, ab eodem in exilium ejectus, non tam ſua, quàm Regis miſerrimi fata doluit: hinc enim mox extinctus, Nicetius verò à filio Clotharii Sigeberto Auſtraſiæ Rege reſtitutus an. 563. ſanctiſſimam vitæ ſanctæ coronidem impoſuit, miraculis compluribus inter vivos & mortuos illuſtratus.

XLVIII. D. RUSTICUS. XXII. ARCH.

D. Ruſticus S. Nicetio ſubrogatus diſſolutioris vitæ maculas mirâ & rarâ ſui converſione emendavit. Ea nimirum ætate D. Goar Sacerdos virtutibus clariſsimus hoſpites multos hoſpitio excepit, præter DEI honorem & proximi ſalutem nullam facilè mercedem admittens. Verùm hac ipſa de cauſa à pravis hominibus in ſuſpicionem ſceleris vocatus, quin ad ipſum Archipræſulem delatus eſt. Tum fortè, aut veriùs DEO mittente attulerunt infantem expoſititium, patris Goaris, ùt mentiebantur, ſacrilegum natum. Ruſticus igitur cùm juberet, ut præſentis pueri parentes Goar proderet, isque orationi intentus ipſummet *infantem & patrem & matrem ſuam* nominare rogaret, continuò omni

mnni exceptione major testis parvulus nupèr natus exclamavit: *Pater meus est Rusticus, mater mea est Flavia.* Hoc convictus & attonitus teste Archipræsul, Goarem innocentissimum, se verò maximè reum confessus, pœnitentiam adversùs scelera remedium optatissimum in primis & postremis habuit curis; relicto namque publico honore ac munere, in eremum abiit obiitque miraculis illustratus. Sedit annis 9. usque ad annum 573.

XLIX. D. MAGNERICUS. XXIII. ARCH.

D. Goare Trevirensem Infulam non admittente, in Archipræsulem electus est Magnericus, factis egregiis insignis: is namque Theodorum Massiliæ Episcopum Treviros captivum perductum singulari charitate excepit, bísque restitui Sedi suæ curavit, virtute fretus orationis, quam in D. Maximini æde pro Theodori incolumitate, dæmone frustra obnitente, peragere est solitus. Aliàs cum D. Gregorio Turonensi trajecturus Rhenum infra Confluentiam, ubi cum Rege Hildeberto de restitutione Theodori actum, periclitatus naufragio, Reliquiarum S. Martini ope periculum evasit. Recreatus hoc beneficio ædem D. Martini ad Mosellam à Tetradio quondam Senatore excitatam, novo instauravit opere, addiditque pro majori cultu monasterium D. Benedicti Religiosis filiis incolendum. Ædem alteram D. Martino sacram in monte Martio, & tertiam Cardonæ ædificavit. Archidiœcesin suam ipse visitando lustravit & emendavit, Cleri moribus ubique instauratis, exemplis maximè & verbis potens, laudibus in vita & morte eximiis ornatus. Diem suum obiit post Sedis an. 22. an. 596.

L. GUNDERICUS. XXIV. ARCH.

GUndericus D. Magnerico in Sede jussus succedere, dictus est asymbolus, quòd re nulla singulari posteris innotuerit. Annis 5. sedit & seculum VI. obitu suo clausit.

SECULUM VII.

LI. S. SEVERINUS II. XXV. ARCH.

S. Severinus II. longè notior nomine, quàm re, licet ab Eccleſia publicos impetraverit honores, in Divorum faſtos relatus, die 20. menſis Decembris cultoribus commendatus; ab ævi tamen ſui Hiſtoricis per annos 18. Sedis ſuæ encomiorum ferè nihil impetravit an. 618. mortuus.

LII. SEBAUDUS. XXVI. ARCH.

SEbaudus ab aliis Sabaudus dictus, virtutis famâ, quàm Hiſtoriæ memoriâ clarior, diem vitæ ultimum numeravit an. 626. 26. Novembris, quem eidem ſacratiorem fecerunt poſteri, ejuſdem virtutibus, & fortè miraculis excitati.

LIII. D. MODOALDUS. XXVII. ARCH.

D. Modoaldus in aula Dagoberti I. Auſtraſiæ Regis cum Cuniberto Colonienſium & S. Arnulpho Metenſium Epiſcopis aliiſque juvenibus, & demum viris virtutibus illuſtriſſimis educatus. Modoaldus porro cùm & natalium ſplendore, utpote Pipini I. Majoris Domus ob Itam ſororem dictam conjugem affinis, & ipſe ex Regio ſanguine prognatus, ſimúlque doctrinâ & induſtriâ excelleret, Dagoberti Regis filias Irminam & Adhelam ad omnem pietatem egregiè formavit; quin & Regis ex diſſoluta vita ad emendationem traducti liberalitate, ad Religionis incrementum uſus eſt ſtrenuè, variis templis & monaſteriis erectis: regia namque horrea Trevirenſium in urbe olim extructa in Virginum ſacrarum aſceterium convertit, cui Irminam dedit Moderatricem. Alterum aſceterium Palatioli, quod Majores Domus incolebant, excitavit, cui Adhelam prima jam ætate ma-

marito viduatam præfecit. Parthenonem denique tertium in ripa Mosellæ extruxit, D. Symphoriano Martyri sacrum, cui Severam sororem suam dedit Magistram, Regulâ D. Benedicti omnibus præscriptâ. In horum postremo Modoaldus post vitam sanctissimè exactam sepultus, inde verò in Saxoniam religionis ergo translatus est. Ornavit suâ præsentiâ Ecclesiam Trevirensem an. 30. mortuus an. *656*.

LIV. D. NUMERIANUS. XXVIII. ARCH.

D. Numerianus curâ Archiepiscopali Treviris suscepta inclaruit. Quamvis itaque vitæ sanctioris præclaram memoriam ferat etiam hodie, scriptorum tamen vel negligentiâ, vel interitu præter monumenti epigraphen, qua anno 670. die Julii 5. morti succubuisse dicitur, de eodem nihil posteris relictum est.

LV. D. BASINUS. XXIX ARCH.

D. Basinus illustri sanguine & virtutibus celebris, ex D. Maximini cœnobio Abbas evocatus, Metropolitanam Trevirorum adiit. Religionis propagandæ curam in se suscepit singularem; quare D. Willibrordum ex majori Britannia cum duodecim sociis egressum, perquam benevolè excepit, & beneficiis sibi devincire studuit, ut Germanis in Germania, unde Anglorum majores venerant, salutem etiam communicaret, promulganda Evangelii lege & luce. Ad annum 697. usque vitam produxit Basinus, ob summam vitæ integritatem & Sanctimoniæ laudem Divi nomine ac honore insignitus. Corpus ejusdem pignoris sacri loco in D. Maximini Basilica fuit repositum, ut quem locum inter vivos signatum impressúmque Sanctitatis suæ vestigiis reliquerat, illum ne mortuus quidem desereret. Sed. an. 27.

SE-

SECULUM VIII.

LVI. S. LUDWINUS. XXX. ARCH.

S. Ludvvinus D. Baſini ex Gonzaga ſorore ſanguinis Regii Princeps celſiſſimo Ducis munere in aula Childeberti Regis eſt functus. At ſplendidis ſeculi titulis, & magnis inſuper opibus ſpretis, amœnitate virtutis, & divinæ Sapientiæ ſtudio captus, in monaſterio Mediolanenſi, quod ſuper amœnam Saravi ripam prope Saraburgum extruxit, aquilæ invitantis augurio lætus, Monachorum regulas cœpit laudare & imitari. Fugiſſe honores publicos fuit inveniſſe: ſummo namque omnium ordinum conſenſu Ludvvinus ex tenebris evocatus ad lucem, eodem anni vertentis die electus eſt Trevirenſium Archipræſul, quo ſeculo priùs nuntium remiſit: quo in munere per annos unum & viginti floruit inſigni virtutum decore, ex bono marito factus melior Epiſcopus. Religionis meſsi eo tempore copioſiſsimæ ut incrementum faceret, D. Willibrordum Friſiæ & aliarum provinciarum Apoſtolum ferventiſsimum, peculiari amore ac favore complexus eſt, author & adjutor eidem factus, ut Trevirenſi in agro excitaret monaſterium S. Irminæ liberalitate dotatum, aut ditatum. Templis aliis & monaſteriis vel inſtitutis, vel inſtauratis, dum Rhemîs Eccleſiæ cauſam agit, mortis ſuſtinet ſententiam. Translatus Rhemîs Treviros, miraculîs viæ comitibus Chriſtianorum obviæ venerationi eſt plurimùm commendatus. Imò ne Treviros deducerentur reliquiæ, obſtitit luculentum miraculum: namque ubi ventum ad eum locum, quo Sara amnis propè Treviros Moſellæ miſcetur, ferunt, attonitis omnibus immotam ſtetiſſe cymbam: at verò poſt invocatam cœli opem, & exploratam Omnipotentis voluntatem, navim, quæ priùs gubernaculi impatiens, ſecundo licet amne, nec remigum nec vectorum ullorum miniſterio propelli poterat, verſa puppi, atque inflexo curſu

su adverso flumini contravenisse, ac viam repetiisse: donec denique undis nequidquam obluctantibus Mediolacum usque incolumis appulsa, semet ripæ applicuerit, ut quem locum olim à seculi fluctibus portum vitæ tranquillioris attigerat Ludvvinus, eundem haberet quietis sedem, aut sepulchrum ab anno 718.

LVII. MILO. XXXI. ARCH.

MIlo D. Ludvvini filius in connubii statu ante aditum Sacerdotium patris pridem susceptus, temporum, aut veriùs electorum iniquitate electus est Rhemorum pariter & Trevirorum Archipræsul; sago togam, galeæ infulam præhabendam ratus, bono persuasus consilio, si sequi consilia magìs didicisset. Verùm detestantibus factum plurimis, pascere oves nunquam cœpit, venari in sylvis feras nunquam destitit. Annis omnino 40. lupum veriùs, quàm pastorem hunc tulêre Treviri, donec tandem ab apro devictus, & an. 758. in frusta discerptus, sylvæ novum indidit nomen. Interea D. Willibrordus, & hoc Episcopo ex senio viribus deficiente, D. Bonifacius Trevirensium Ecclesiæ conservandæ vigilem navârunt operam, quò minùs tanto officio indignissimum removerent quàmprimùm, potentiorum machinis impediti.

LVIII. D. HILDOLPHUS. XXXII. ARCH.

D. Hildolphus ex claro Bojorum stemmate ortus, & Ratisbonæ moribus ac literis excultus, à Pipino Gallorum Rege Treviros usque est translatus. Eremum publicis curis anteferre doctus, dum abitum paravit, aditum ad summos honores Trevirìs invenit, communi omnium acclammatione promulgatus Archipræsul. Quare tot suffragiis vocatus, nihil antiquius habuit, quàm collapsas ædes sacras resarcire, Clericorum vitia emendare, Divorum præsertim Trevirensium honores promovere: testis sit D. Maximini sepulchrum ab aquarum illuvie

equidem mirè ſervatum, temporum tamen injuriâ nonnihil corruptum, ut à D. Hildolpho ampliùs exornaretur. Annis 10. inter publica negotia conſumptis, depoſitâ mitrâ cum Spinolo, Joanne & Benigno Monachis Maximianis Vogeſi montis eremum, collacrymantibus ferè bonis omnibus, petiit Hildolphus, ubi rerum cœleſtium contemplationi, & virtutum ſelectiſsimarum exercitio intenti, partim adventantem populum in ſui admirationem, partim multos ad imitationem pertraxerunt.

LIX. D. VEOMADUS. XXXIII. ARCH.

D. Veomadus à D. Hildolpho ſubrogatus eò magìs placuit, quòd Hildolphus contra communes omnium preces & querelas conſtantiſsimum ſeſe exhiberet in deligenda eremo, atque in ſucceſſorem deſignando Veomadum, quo neminem in eo rerum ſtatu digniorem palàm dicebat. Fuit Veomadus Mediolacenſis monaſterii Abbas laudatiſſimus, & jurium Eccleſiaſticorum aſſertor conſtantiſſimus; quod expertus eſt Aſſuerus, Prumienſis monaſterii Abbas, de dominio Cellæ D. Goaris dictæ, litem ſuſtinens. Quantus Eccleſiæ defenſor, tantus Ss. Reliquiarum propugnator & promotor: D. Caſtoris enim Oſſa decentiori loco collocavit, populo Cleróque Cardonem usque Archiepiſcoporum comitante, ac tridui abſtinentiâ præviâ Numen propitium ſibi reddente. Divorum curam tam ſedulam dum geſsit, ſui curam majorem geri à Divis expertus, à D. Caſtore ter ſpectabili facta, è mortalium numero eſt evocatus an. 781. Sed. 13.

LX. RICHBODUS. XXXIV. ARCH.

Richbodus ex Abbate Mediolacenſi creatus Archiepiſcopus Trevirenſis, vix aliam, quàm nominis ſui, nobis reliquit memoriam, aut veriùs alii reliquerunt, geſtorum publicorum parùm ſeduli obſervatores. Annis 10. ſediſſe creditur, mort. an. 791.

LXI.

LXI. WAZZO. XXXV. ARCH.

WAzzo in Sede Trevirensi annis 19. ad annum nimirum 810. usque sedit, tempore Ecclesiæ denuo florentissimo, quo nimirum D. Leo III. & Carolus M. Imperator collatis studiis Romanas Aras identidem altiùs evehere, & promovere laborârunt. Laudavit conjunctam utriusque operam ante alias Trevirensium Ecclesia, quam Leo præsentiâ suâ, & privilegiis exornavit; Carolus verò unà cum fratre Carolomanno Austrasiæ Rege eadem ferè ætate mortuo, donis & divitiis honoravit. Cæterùm Wazzonis res gestas tacuit antiquitas.

SECULUM IX.

LXII. AMALHERIUS. XXXVI. ARCH.

AMalherius illustris familiæ juvenis, sub Alcuino eximiæ famæ Magistro, didicit literas eo fructu, ut Latinæ simul & Græcæ linguæ peritissimus haberetur. In literis profecisse adeò profuit, ut licèt Carolus M. Trevirensium Ecclesiæ Archipræsulem optaret, & offerret D. Ludgerum, Canonici nihilominus Amalherium sibi eligendum existimârint, & ipsum sublimi Sede dignissimum judicârit Lugerus. Quanti eundem fecerit Carolus, vel ex eo licet æstimare, quòd Legatum Constantinopolim ad Michaelem Orientis Imperatorem, pro pace & amicitia stabilienda miserit Amalherium primis aditæ suæ dignitatis, Caroli verò imperantis annis ultimis: altero enim post abitum suum anno Constantinopoli redux Legatus, Imperatore vitâ functo, & Aquisgrani sepulto, Ludovicum Pium invenit Cæsarem. Ferunt ab Amalhero institutum esse morem convocandi ad Sacra populum in hebdomade sancta crepitaculis ligneis, eò quòd eundem morem in Oriente pridem institutum didicisset. Non pauca alia, quæ tum Constantinopoli, tum Romæ vidit, &

cunctis probari intellexit, Trevirenſi Eccleſiæ obſervanda præſcripſit; ut verò firmarentur longiori uſu faciliùs exemptis, quoad per negotia publica licuit, ſuis communivit in choro arbiter aſſiduns. Unde in abſentia ſui, ne quis abſentem exiſtimaret, Adalmatum & Herilandum, nec non Theganum, doctrinâ & morum probitate viros eximios ſui loco conſtituit, ut ritè arbitrarentur & cuſtodirent omnia non verbis, quàm exemplis potentiores. Annis 32. inſtar ſyderis fulſiſſe Amalherium, unà cum Brovvero tradiderunt non pauci, qui miraculis clarum in Divorum Album fortè relatum eſſe meminerunt. *Vid. Tritbem. MS. Latium &c.*

LXIII. HETTI. XXXVII. ARCH.

HEtti ab aliis Hetto nuncupatus, inq; Mediolacenſi monaſterio Abbatis munere ſtrenuè functus, Trevirenſem Eccleſiam tum natalibus ſuis clariſsimis, tum inſignibus meritis illuſtravit, quod hiſce lineis docet Brovverus: *generoſis ortum natalibus, magniſque rebus, & honorum titulis inſignitum novimos &c.* Maximi fuiſſe habitum, indicârunt epiſtolæ ab Hincmaro Rhemenſium Archiepiſcopo celeberrimo ad Hettonem datæ, quibus ab eodem tanquam diſcipulus à Magiſtro inſtrui, & tanquam filius à patre corrigi humaniſsimè petiit. Quin eminuit Hetto non apud æquales modò, ſed apud Imperatorem ipſum Ludovicum conſilio & authoritate maxima, cujus ut vivi gratiâ permultùm valuit, ita in manibus ſuis mortui liberalitate Eccleſiam ſuam plurimùm locupletavit: Hetto enim Archiepiſcoporum omnium primus, *Indominicatum*, ùt vetus diploma loquitur, Diœceſi ſuæ adjunxiſſe exiſtimatur. S. Paulini Clerum in Waldriola, & Reinonis campo plurimis auxit beneficiis, quæ de ſuo decerpere & erogare nihil ipſe dubitavit. Ejuſdem Imperatoris liberalitate fretus, confluentiam S. Caſtoris Collegio ornavit, & ejuſdem Divi Reliquias eò Cardonâ

donâ tranſtulit, quò & brachium S. Goaris perlatum eſt. Tumulo Hettonem illatum eſſe anno 850. poſt annos circiter 18. plurium Scriptorum eſt opinio.

LXIV. HETTO THEIDGAUDUS. XXXVIII. ARCH.

HEtto Theidgaudus Hettonis nepos, & in monaſterio Mediolacenſi Abbas Succeſſor, æmulari in rebus omnibus vel patruum, vel avunculum ſuum eſt creditus, ut neminem ipſo Trevirenſium mitrâ digniorem cenſerent legitimi electores. Verùm ſpei non reſpondit optatus rerum eventus: ipſa enim non multò poſt urbs princeps magnis tempeſtatibus concuſſa, & oſtentis territa, majorum malorum ſenſit eſſe præludia. Eccleſiæ tunc vim inferebant partim domeſtici, partim externi hoſtes maximam; unde Synodus Epiſcoporum Confluentiæ, abſente Theidgaudo Archiepiſcopo, in templo S. Caſtoris eſt habita an. 860. ubi in præſentia Lotharii, Ludovici & Caroli Regum de Eccleſiaſticorum defenſione conſtitutum fuit, ut more à majoribus tradito, ſtarent. Nihilominus eodem anno Theidgaudus cum Præpoſito aliiſque Clericis à ſeditioſis civibus, & mixtis prædonibus captus, atque ad edendum jusjurandum libertatis recuperandæ ſpe adactus, obligatione ſua gravi metu extorta, Pontificis Nicolai I. authoritate eſt ſolutus. At inde Lotharius Rex in repudio Theutbertæ conjugis, Walrada pellice ſubſtituta, Theidgaudum unà cum aliis Epiſcopis tranſverſum egit. Haud profuit monuiſſe ſeveriſſimè, ut Lotharii partes Archipræſul relinqueret: quare ab Hadriano II. Pontifice confixus anathemate, in Italia miſerè periit an. 869. Interea in Theidgaudi cathedra ſediſſe monſtroſum canem ferunt.

LXV. BERTHOLPHUS. XXXIX. ARCH.

BErtolphus ex Abbate Mediolacenſi, Carolo Calvo plurimùm favente, contra Waltonem Monachum à Ludovico Germanorum Rege obtruſum, eligitur, vir tanto honore & meliori tempore digniſſimus: vixit namque in Eccleſiæ ſtatu, Normannis latè omnia vaſtantibus. Ut proinde Sanctorum ſaltem pignora tutò quieſcerent, ſubterraneis illa paſſim recondita locis, & ſequentibus ſeculis diu ignorata latuêre, donec reperta, cum multorum gaudio & ſalute in lucem denuo ſunt eruta. Nec cautela in tempore fuit nimia: nam Godefridus Normannorum, & Sigefridus Danorum Reges Coloniam, Treviros unáque urbes alias everterunt. In comuni eóque graviſſimo rerum diſcrimine Virgines à S. Symphoriano nomen habentes, Treviris ad D. Modoaldi tumbam ſupplices impetrârunt, ut intra 30. dierum ſpatium omnes optata mors eripuerit, antequam civitas ipſo Cænæ Dominicæ die ſacro propemodum omnis ſolo eſt æquata. Miraculum acceſſit alterum, quo D. Paulini Baſilica flammis ab hoſte nequicquam petita fuit. Imò & ejuſdem tumba in aere vacuo hæſit pendula in annos dein complures, poſt revulſas, quibus ante tenebatur, catenas ferreas. Contigêre hæc anno ſeculi IX. 83. qui fuit Bertholpho Archipræſuli inter vivos penultimus: annis igitur ſedit 14.

LXVI. RADBODUS. XL. ARCH.

RAdbodus non minùs, quàm Anteceſſores varii ex Abbate Mediolacenſi Trevirenſium peridoneus eſſe judicatus fuit Eccleſiæ, cujus curam geſſit laudatiſſimam difficillimo ſanè tempore, quo Normannorum alii poſt alios impetum tentârunt, & Hugo Waldradæ ex Lothario filius Lotharingiam Carolo erepturus, Godefridum Ducem evocavit. Verùm victor Carolus Hugonem interceptum oculíſque privatum Prumienſi Monaſterio

rio in cluſit, mox & ipſe non imparem ſuſtinens ſortem, dum Richarde legitima conjuge rejecta, aliarum amplexibus adeò ſe implicuit, ut ſceptro regnóque orbatus, vix haberet, unde viveret. Radbodus interea poſt celebratam Moguntiæ Synodum, dono Arnolphi Imperatoris S. Servatii Abbatiâ auxit Trevirenſem Eccleſiam. E contrario idem Imperator S. Maximini vel monaſterium vel, ùt vocamus, Abbatiam Megingaudo inter Seculares Duci obtulit, qui eapropter membris captus omnibus, meritò à Superis videri potuit eſſe punitus, præſertim cùm non, niſi ad D. Maximinum fuſis precibus eſt reſtitutus, ex monaſterii hoſte, ejusdem amicus effectus ad ſepulchrum usque conſtantiſſimus. Ut reſarciretur etiam damnum maximum à Normannis illatum, Eccleſiæ Trevirenſi à Ludovico IV. Imp. donatum eſt Sirckium cum juribus aliis intra & extra urbem vectigal exigendi. Hæc aliáque beneficia à Supremis Capitibus in Trevirenſium Sedem collata, Rabodum ſuum Principem Authorem jure venerabantur. Gubernavit Eccleſiam ſuam ad annum usque 918. per annos Sedis 32.

SECULVM X.

LXVII. RUOTGERUS. XLI. ARCH.

RUotgerus Radbodo animi magnitudine, & virtutibus aliis minimè impar, Cleri populíque ſuffragiis in Archipræſulem electus eſt, non exſpectato ullius Regis annutu, utì nupèr Eccleſiaſticorum jurium & bonorum violatores volebant. Adverſa valetudine ùt plurimum afflicto, & valetudinem priſtinam votis omnibus flagitanti, D. Maximinus rem optatam promiſit, ſi corporis ſui Reliquias rurſum hoſtium occulis ereptas, terræ gremio committeret. Data ſervatáque fides Maximino, qui fidem ſedulò ſervanti reſtituit ſanitatem. Reſtituta ſanitas tantum

tum in Ruotgero operata eſt effectum, ut S. Eucharii ædem, & hujus bona à violentis raptoribus afflicta, reſtitutis poſſeſſionibus, ſtrenuè vindicârit. At non tam bonorum terreſtrium, quàm morum optimorum aſſertor ſtrenuus an. 925. Treviris Concilium unà cum Suffraganeis & Clericis ſuis adornavit, præſentibus Adalberone Metenſi, Barnoino Verdunenſi, & Drogone Leucorum Epiſcopis. In eodem decretis variis ſolutior Eccleſiaſticorum diſciplina arctiùs reſtricta, & liber ab ipſomet Ruotgero conſcriptus, quem tanquam Eccleſiaſticarum Sanctionum ſynopſin ſummus omnium aſſenſus laudavit. Virorum literis addictorum æſtimatorem fuiſſe teſtatus eſt Flodoardus in ſeculo ferreo vir aureus, qui cohoratione Archipræſulis accenſus, Poematum octodecim libros, nimirum tres de triumphis Chriſti Sanctorúm que Palæſtinæ, ac quindecim alios de triumphis Sanctorum Italiæ conſcriptos ad Ruotgerum miſit, atque ejuſdem nomini inſcriptos dedicavit, qui hodie ſuperſunt in Metropolitana bibliotheca Trevirenſi. Annus vitæ ultimus Ruotgero fuit 930. Sedis 12.

LXVIII. RUOTBERTUS. XLII. ARCH.

Ruotbertus ritè eligentium ſuffragiis vocatus, ùt ait Brovverus, *Vir Regali proſapia, & in obeundis Pontificiæ dignitatis muneribus acris & vigilantis ingenii. Pater ei Rudolphus Burgundiæ Rex, qui nupèr Franciam, atque ingenti virtute partum Italiæ regnum, Berengario fuſo atque fugato aliquamdiu tenuit. Mater Bertha, Arnolphi Bojariæ Ducis filia. Sororem habuit Adelheidem, primùm Lothario Regi Italiæ, inde magno Ottoni Imp. connubio ſociatam, cujus nobiliſſimæ fœminæ in Eccleſiam Trevirenſem meritorum extant egregia documenta.* Talis ac tanti Archiepiſcopi auſpiciis translatio D. Magnerici Epiſcopi ad D. Martinum eſt celebrata; D. Maximini Baſilica recèns extructa ac conſecrata, nec non quinque Epiſcoporum Trevirenſium Reliquiæ, nimirum DD. Agritii, Maximini, Nicetii, Baſini & Veomadi ibidem ſunt reconditæ. Dum pro Divorum honore, & Dei perinde gloria tantopere ſollicitus fuis Ruotbertus, Supe-

rùm utique beneficio Otto Imperator, & Rex Lotharingiæ antiqua Trevirensis Ecclesiæ privilegia, adjectis novis confirmârunt. Non ita favere visus est Agapitus II. Pontifex una alteràve sententiâ contra Ruotbertum latâ. Annus seculi X. agebatur 56. cùm grassante pestilentiæ morbo per Coloniam, & latè viciniam, Ruobertus eadem lue infectus, in celeberrimo Procerum conventu, Ruotgero & Frodoando testibus, Coloniæ extinctus est annorum 26. Archipræsul.

LXIX. HENRICUS. XLIII. ARCH.

HEnricus Ottonis M. Cæsaris vel affinis, vel sanguinis vinculo propinquus, cum D. Wolfgango primùm in Augia Divite, postea Herbipoli sub Popponis fratris disciplina hausit virtutem ac doctrinam. Veluit ea doctrina & virtus unà cum Cæsaris authoritate, ut in Trevirensium Sedem viduam fuerit admissus ab Electoribus Canonicis. Societatis vinculo Treviros pertractus etiam D. Wolfgangus, ac ibidem in æde principe Decanus creatus, argumentis multis id præstitit, ut Canonici unam in domum mœnibus cinctam convenire, ac normam vitæ universis communem amplecti præclarè cœperint. Anno 958. Henricus in foro Crucifixi DEI prægrandem imaginem religionis causâ excitavit, postquam cœlesti ostento hominum vestimenta passim notari crucis signo conspecta sunt. Paulò pòst Ottone Imperatore adversùs Pontificem insurgente, & exercitum in Italiam ducente, eò profectus etiam Henricus, communi pestilentiæ malo per exercitum grassanti an. 964. Parme succubuit. Interea, & anno post obitum Henrici proximo cura Archiepiscopatùs D. Wolfgango est commissa. Sed. Henricus an. 8.

LXX. THEODORICUS. XLIV. ARCH.

THeodoricus ex summæ ædis Archidiacono Trevirensium Archipræsul creatus an. 12. Ecclesiam suam felicissimè

gubernavit. Anno namque mox altero, poſtquam electus eſt Antiſtes, Otto II. Imperator Theodorici vel precibus, vel meritis motus, Trevirorum Eccleſiam multis auxit prædiis. Annis proximis dum Ottoni per Italiam, & Romæ præſertim adſtitit Archipræſul, multis à Joanne XIII. Pontifice privilegiis eſt honoratus. Eadem poſtea Benedictus VII. rata habuit, & novis confirmavit. In monaſterio quàm fuerit munificus, ex eo licet intelligere, quòd Clericorum S. Paulini, & cœnobitarum ad SS. Martyres domos neceſſariis opum præſidiis ſolatus fuerit. Inter Literatos clariſſimum nactus nomen Theodoricus, inter alia doctrinæ ſuæ teſtimonia reliquit poſteris D. Luidgardis Catalaunæ Virginis ſanctiſſimæ laudes, amœno carmine deſcriptas. Mortuus eſt plenus meritis an. 977. Moguntiæ, ibidémque in æde S. Gangolphi, quam à ſe extructam duodecim Clericorum fundatione inſtituerat, ſepultus. Inter animi dolores Theodorici is ferè erat maximus, quòd Canonici Trevirenſes remoto D. Wolfgango ſolutioris vitæ tramitem denuò repetiêrint, relictis prioris ac melioris vitæ legibus.

LXXI. EGBERTUS. XLV. ARCH.

EGbertus illuſtriſſimo Comitum Hollandiæ è ſtemmate natus, an. 978. ſingulari morum innocentia Vir Trevirenſe Solium conſcendit. Ab exordio excelſi muneris ſui promovendæ Religionis ſtudioſiſſimus, ex propriis amicorúmque divitiis decorem addidit templis arísque; quibus acceſſit baſilica S. Eucharii, ſplendidiſſimo apparatu exornata, dum B. Celſi reconditæ illic Reliquiæ non ſine miraculo fuerunt repertæ, cùm fundamentis eruendis operam navarent. In ædis ſummo loco ſplendidiſsimo Clavum Domini, Dentem S. Petri aliáſque hujus & D. Andreæ Religuias repoſuit, & eodem loco moveri ſeveriſsimè prohibuit. Coloniâ, aut Metis ſuperiorem de Baculo S. Petri, partem Treviros tranſlatam, in honorem Sanctiſsimi Paſtoris & Pontificis

tificis, singulari reverentia est prosecutus. Cæterùm Abbatia S. Mathiæ peculiari decore exculta, & Abbatiâ alterâ, nimirum Trajectensi per Ottonem III. Imperatorem receptâ, an. 993. Sedis 18. tumulo est illatus, postquam annis prioribus in Ingelhemiensi Synodo Præses sedit, atque de inventione S. Celsi præclarè dixit: aliàs verò, cùm ingens solis æstus, & terræ siccitas Treviros afflixisset, partim precibus, partim jejuniis, partim aliis consuetis in Ecclesia Romana exercitiis Superios placare studuit. De Egberto scripsit Theodoricus Historicus hunc in modum: *Egbertus militum ambitionem refrenare non timuit. Comprovincialium tyrannidem æquus arbiter auctoritate sua repressit, & omnia, quæ monasteriis erant hostili invasione subtracta, manu potestativa undique recuperavit, & monasteriorum Patribus, magnâ vigilantiâ consignans restituit.* Crucifixi Christi imago Egberto inter vivos solatium, dum post mortem ejusdem religiosè servatur Egmundæ in Hollandia, plures ægri sanitatem receperunt, testimonio posteris relicto, Divinum Numen Egberti merita orbi patefacere iis miraculis statuisse.

SERIES
ARCHIEPISCOPORUM, PRIMATUM ET ELECTORUM TREVIRENSIUM.
PERIODUS III.
LXXII. LUDOLPHUS. XLVI. ARCH. I. ELECTOR.

LAndolphum dixerunt alii ex Cœnobio Goslariensi delectum, natum in Saxonia ex illustri familia, ibidem educatum, & præclaris moribus literísque instructum, dignissimum inde qui Goslariensi Ecclesiæ per annos 26. Præpositus præluceret, &

demum annis ferè quindecim Archipræsul, simúlque Imperii Elector crearetur. Confirmatus in præcelso munere à Clericorum moribus emendandis exordium ducendum ratus, D. Wolfgangi vestigiis insistere, in unam eámque communem omnibus domum Canonicos cogere in curis numeravit supremis. Quare cùm verbis proficeret minùs, exemplo invitos traxit, haud respuens communem domum & mensam. Æquo nihilominus indulgentiorem fuisse ferunt in Adelberonem D. Cunegundis Augustæ fratrem, in æde D. Paulini Præsulem, quòd hic gratiâ Cæsaris Henrici, & multorum potenti amicitia valeret. Inter beatissimas sortes Ludolphi venit Electoratus Imperii à Gregorio V. Pont. & Ottone III. hæredibus destituto Imperatore, ob gravissimas causas institutus. Locum inter septem Viros non uno duntaxat ex capite secundum impetravit Archipræsul Trevirensis, à tanto tempore, nimirum an. *996.* circiter usque ad hunc nostrum annum 1725. Ecclesiæ & Imperii decus, & membrum constantissimum, florentissimum. Anno vitæ ultimo, qui fuit Christi 1008. suo etiam suffragio post Romanum Pontificem in concilio Francofurtensi subscripsit institutioni Episcopatus Bambergensis novissimæ.

SECULUM XI.

LXXIII. MEGINGAUDUS. XLVII. ARCH. II. ELECTOR.

Adalbero D. Cunegundis frater, ad S. Paulinum Treviris præpositus, ùt vocamus, indulgentiâ Ludolphi, & affinitatis vinculo, quo Henrico Cæsari jungebatur, identidem audacior, S. Martini Abbatiam veriùs injuriâ, quàm jure venidcavit sibi, pari fermè injuriâ templo D. Symphoriani illatâ. Denique Ludolpho Electore vitâ functo ad multos simul, velut in fasciculum collectos flores, hoc est, publicos honores

nores desiderium avidissimum prodidit, suimet sanè proditor perinde factus justissimè. Henricus namque Imperator rei probè conscius, tametsi Ecclesiæ suæ jura integra relinqueret, totus tamen in eo fuit, ut Canonici Electores Megingaudum ex multis meritis laudatissimum Moguntiæ Præpositum Archipræsulem, & Electorem Treviris præficerent, quod ritè factum multis detestatus est modis Adalbero in malo pertinax Princeps; quod ipsum dein testata est Ecclesia & Imperium; postquam nempe Adalberonis instinctu plures in Imperio Viri Principes adversùs Cæsarem arma induere non sunt veriti, damno Trevirensium maximo: donec denique anno seculi XI. duodecimo Adalbero pœnitentiâ ductus sapuit, & cuique suum reddidit: Megingaudus verò naturæ debitum solvit Confluentiæ an. 1016. Sedit an. 8.

LXXIV. POPPO. XLVIII. ARCH. III. ELECTOR.

POppo Leopoldi cognomento Illustris Austriæ Marchionis filius, à D. Henrico Cæsare commendatus, & ab iisdem Archipræsul electus, non minùs Trevirensem Elector, quàm Bambergensem Ecclesiam, cujus antea Propositus, suis virtutibus illustravit. Dum Romam ex Germania abiît, pro more pallium petiturus à Pontifice, interea & Adalbertus Dux, & Adalbero ad vomitum rediens, unà cum prædonem caterva Treviros infestavit. Verùm armis, & stratagemate victus, & captus uterque, Popponi dedit manus. Reddita proinde castella, templa, & Sarburgum ab Adalberone conditum. Accepta datáque pace Ecclesiasticorum virorum fœminarúmque mores sedulò examinati, ad justissimam iram provocârunt Popponem, quem nomine, non re Virgines claustris minùs bene custoditæ philtro etiam ad libidinem provocare non sunt veritæ: unde atro calculo notata est ipsis illa dies. Interea Imperator Henricus laudata in omnibus insigni Popponis industriâ maximè beneficum se exhibuit

buit Trevirensi Ecclesiæ, Confluentias ejusdem potestati penitus subjiciens. Annis decem eò usque Treviris præfuit Archipræsul, cùm ardentissimo incensus desiderio videndi Palæstinam, petita & impetrata à Summo Pontifice proficiscendi copiâ abiît, Archiepiscopatûs & Electoratûs curâ interea Suffraganeis, in primis verò Theodorico Metensi Episcopo commissâ. Ex Syria cum sociis redux ingenti gaudio receptus est à Trevirensibus, à quibus tamen plurimùm discrepabant è D. Maximini monasterio Monachi nonnulli, qui veneno tollere è medio tantum Antistitem meditabantur, eventu rerum non nisi ipsis tristissimo: nemo enim è conscia scelerum turbâ alterum vitæ annum superavit. Servatus itaque à Superis Ecclesiæ Elector Sanctus, Sanctorum honores modis omnibus promovit, quorum numero annitente Poppone Simeon in Palæstinam nupèr itineris socius à Benedicto XI. est relatus. Divorum honori junxit præclarè pauperum curam singularem, quæ adeò cordi fuit, ut cùm aliquando Archipræsuli liberalissimo præter equum nihil superesset, eundem famelicis in cibos distribuendum concesserit. Annis 31. Ecclesiam & Imperium Poppo suis verbis & factis illustrissimis exornavit: unde inter summorum juxta ac infimorum pias lacrymas an. 1047. sepultus est in æde, quam Magnæ Virginis honoribus ædificârat & consecraverat.

LXXV. EBERHARDUS. XLIX. ARCH. IV. ELECTOR.

EBerhardus Hezilonis Palatini Comitis filius, Popponi mortuo successit, ab Henrico III. Imperatore propositus, ab Electoribus Clericis electus. Anno ab electione hac altero Bruno Tullensium Episcopus eligitur Pontifex Leo IX. dictus, quem Præsulem sanctissimum dum comitatur Eberhardus, præter Primatus sui, & privilegiorum confirmationem, mitrâ & pal-

pallio Romæ exornatus, adiît possessionem quatuor Coronatorum dictam. In Rhemensi dein Synodo Pontifici sedit à sinistris proximus, Widoni Rhemensium Archiepiscopo tanquam loci Domino, concessâ dexterâ. Qui, dum alii de Simoniæ crimine rei sunt inventi atque condemnati, inter suspectos est numeratus. Eberhardus etiam in Moguntina Synodo præsens cum D. Leone Simoniacos condemnavit. Italiam petente Pontifice ad inquirendas D. Mathiæ Reliquias, quas Româ Treviros translatas esse acceperat, se totum convertit Archipræsul, ubi favente DEO evenit, ut Presbyteri cujusdam investigantis ex sacrorum ossium contactu manus oleo constanter stillaret, quo indicio D. Apostoli corpus est monstratum. Dum Sacra hunc in modum curavit, Electori huic cum Conrado Comite Lüzelburgico lis intercessit gravissima. Atque hic dum per insidias Eberhardum captum pertinaciter retinet, latâ Romæ sententiâ proscriptus, sed & mox facti pœnitens ab Eberhardo veniam impetravit, atque à Pontifice imperatum sibi iter in Palæstinam aggressus est, ibidem sanctè mortuus. Interea dum Hebræorum aut conversionem, aut expulsionem zelo justissimo urget Eberhardus, ab iisdem maleficiis petitus occiditur: dum enim Electoris imaginem ex cera confectam lento igni admovent, eidem sacra solennia peragenti morbum & mortem accelerant an. *1066.* dum sedit an. *19.*

LXXVI. ADO. L. ARCH. V. ELECTOR.

POst sepultum Eberhardum Archipræsul Coloniensis Anno, Cunonem seu Conradum Coloniæ Præpositum, Virum meritis maximum Treviris Electorem optavit; verùm dum cœpto operi ardentiùs institit, vehementiùs obstitêre Clerici populúsque Trevirensis duce Theodorico Comite, qui Conrado Urtzigii capto, atque in custodiam durissimam dato, tortores & percussores immisit. Hi cùm Virum innocentissimum ter

ex

ex rupe altiſſima dediſſent præcipitem, toties tamen ope divina recepiſſent incolumem, pars ad petendam veniam agendámque pœnitentiam converſa, pars tortorum altera in ſcelere pertinacior, evaginatis gladiis confecit D. Præſulem, multis miraculis eo ex tempore clariſſimum. Inter miracula etiam hoc numerârunt: cùm Theodoricus Comes D. Conradi paſſim Martyris dicti, ſepulchrum adire pararet, vi occulta repulſus, aditum per lacrymas pœnitentiæ teſtes quæſivit. In Sedem interea Trevirorum promotus Ado Comes Nellenburgicus, & pro more à Pontifice confirmatus, continuò DD. Martyrum ad D. Paulinum corporibus in aperto eóque ſacratiori loco collocandis ſtrenuam dedit operam, quæ unà cum S. Paulini Reliquiis, & adjectâ tabulâ nominum & miraculorum teſte fuerunt reperta. Idem ad radices montis Juræ, templum D. Helenæ honoribus conſecratum, in Uhren erexit, cui S. Numeriani Archipræſulis oſſa ornamenri maximi loco donavit. Divorum quorumvis honorem ampliùs promoturus, Martyrologium conſcripſit, quod Adonis dicimus. Annis vitæ ultimis Romam profectus, inſignem didicit, aut veriùs perfecit, pridem doctus conſtanter agere, conſtantiam: Redux enim, dum Henricum IV. Imperatorem Pontifici invenit infenſiſſimum, pro Pontifice ſtetit Ado contra Cæſarem. Mortuum an. 1077. dicunt in Suevia, inde Treviros deportatum, atque in ſumma æde ſepultum tvadunt. Sedit annis 10.

LXXVII. EGELBERTUS. LI. ARCH. VI. ELECTOR.

EGelbertus ex illuſtri ſtemmate in Bavaria natus, permultis ſuis meritis Henrico IV. Imperatori ſe gratum pretioſúmque præſtitit; unde ab hoc ſchiſmatico Cæſare invitis plurimis in Sedem Trevirenſium intruſus, hoc honore fuiſſet digniſſimus, ſi in eo rerum articulo fugiſſet: non enim niſi à ſchismaticis Epiſco-

copis post annorum sex ab habita electione spatium consecratus, & serò nimiùm pallium potestatis Ecclesiasticæ insigne à pseudo-pontifice Clemente adeptus, dum schismatici Cæsaris partes nunquam seriò reliquit, perpetuum bonorum ferè omnium odium ac tædium peperit; tametsi multa ageret, quæ commendationem merebantur maximam: Divorum namque, præsertim Trevirensium majori honori, ac venerationi sedulò consuluit, & Ecclesiæ suæ jura strenuè defendit, & pedo adversùs lupos, & gladio adversùs Ecclesiasticorum bonorum invasores usus, quod factum Superi miraculo sunt visi laudare: Henricum namque Comitem Limburgensem Arlunensis Marchionatus Ditiones Metropolitanæ Ecclesiæ ab Adelhaide donatas, armata manu repetentem, Egelbertus primùm anathemate percussit, dein verò justa acie profligavit: ubi evenisse ita tradunt, ut cum Henricus anathematis sententiam sprevisset, & prehenso manibus carnis frusto dixisset: tam parùm Episcopi sententia me cœlo privat, quàm parùm hic canis à comedenda carne abstinet; canis à carne, attonitis cunctis, abstinuerit, & fugerit, ac Henricus Egelberto gemina ex parte victori manus dederit. Tandem Elector hic multis defunctus periculis, discrimen mortis adiit maximum, dubio posteris relicto, an Ecclesiæ reconciliatus obiêrit, tametsi in æde Trevirensium summa sepultus fuerit an. 1101. postquam annis 24. potiùs pro Sede pugnavit, quàm sedit.

SECULUM XII.

LXXVIII. BRUNO. LII. ARCH.
VII. ELECTOR.

BRuno ex illustrissima Brethemiorum Comitum stirpe in Francia Orientali oriundus, ab Adone verò Archipræsule educatus, Moguntiæ tandem post sui electionem consecratus, placuit Treviris & Elector, & Archipræsul. Displicuit verò

rò primùm Paschali Summo Pontifici, quòd ab Imperatore Henrico data Electoris insignia induisset: unde pœnæ & pœnitentiæ causâ annis tribus absque Dalmatica, utì dicimus, celebrare ad aram est jussus. Conciliatus nihilominus Pontifici Pallium impetravit, ac inde in Germaniam reversus, Romano ardens spiritu, ac zelo ferventissimè ad concionem dixit, Ecclesiasticæ disciplinæ quamprimùm restaurandæ intentus; eam ob rem Synodo indicta, & celebrata. Nimis liberalem, aut prodigum dixêre nonnulli, quòd Thietmaro in Brunsuicensi agro Abbati S. Modoaldi cum duobus Thæbeorum MM. corporibus Reliquias, quin nec modicam de S. Autoris corpore partem donârit. Successu temporis varia expertus est fata, præsertim cùm Henrici V. Cæsaris signa haud providè secutus, Gelasium II. Rom. Pontificem oppugnavit: sed deinde mutatus & emendatus author Cæsari fuit, ut cum Calisto Gelasii Successore damnatis odiis pacem jurarent. Quare tunc etiam firmata denuo sunt Trevirensis Ecclesiæ privilegia, competitoribus Episcopis parùm accepta. Annis prioribus Berengarii sectatores Trevirensium Ovile, luporum instar petentium oppressit, Dominico quondam Presbytero, tum verò inter scabiosum gregem hirco, ad supplicium damnato. Annis vitæ ultimis Religioni ac virtutibus aliis multis promovendis indefessam navavit operam; extructis enim aris recentibus simúlque monasteriis, in hæc sese crebrò abdidit, ut ad Divorum sepulchra, concubia etiam nocte liceret orationi ardentiùs invigilare. Vigilantissimum itaque Archipræsulem mors offendit an. 1124. Sed. an. 23.

LXXIX. GODEFRIDUS. LIII. ARCH. VIII. ELECTOR.

GOdefridus Leodiô oriundus, ea laude est functus Decani munere, ut Treviris Archiepiscopum legere voluptas fuerit.

rit. Verùm inde turbatâ Republicâ, sponte sua quosvis reliquit honores, æquissimo animo ferens præferri sibi æmulum an. 1127.

LXXX. MEGINGERUS. LIV. ARCH. IX. ELECTOR.

Megingerus à puero Treviris educatus, & sacris muniis assuetus, dum inter turbas publicas ab omnibus fuit Archipræsul exoptatus, solus ipse inter silentii & modestiæ limites se continuit. In Electoratûs exordio Wilhelmum Lützelburgensem Comitem armis fatigavit hostem: inde ad sacra conversus, nova S. Mathiæ inventione se recreatum ostendit, præsertim cùm eandem indubitata miracula comitarentur. An. 1128. Romam profectus, à Pontifice consecrari, & pallio exornari, dum petiît, impetravit. Româ in Germaniam reversus, invenit Clericos & multam, ùt fieri amat, populi partem perinfensam sibi: dum itaque consilii & auxilii ergo Italiam repetere statuit, à Conrado Imperatore, aut veluti vocari consuevit, Rege nondum electo, interceptus, & carceri Parmensi inclusus, non nisi morbos & mortem præstolari est jussus: unde & mors brevì in limine adfuit, quæ justorum multorum iram justissimam provocans, ejus loci Archipræsulem adeò commovit, ut more Martyrum Megingerum sepulchro immiserit an. 1130. Difficultas dein exorta est maxima in eligendo Successore, quòd ob seditiosi populi, & Clericorum plerorumque crebras mutationes Sede dignissimi oblatam dignitatem constantissimè subterfugerint, unde primùm anno 1132.

LXXXI. ADALBERO. LV. ARCH. X. ELECTOR.

Adalberto ex Primicerio Metensis Ecclesiæ lectus Archipræsul, ab Innocentio III. Pont. in Rhemensi Concilio ad Mitram est adactus, priùs cum rebelli populo pugnavit, quàm

Sedem adîit victor. Hac major jam ac potentior victoria, Legatus per Germaniam creatus à Pontifice, cum Lothario II. Imperatore in Italiam transîit, ex qua Megingeri ossa in Germaniam secum retulit. Multis deinde litibus agitatus, nunc victor triumphavit, nunc victus succubuit, præsertim cùm Confluentiæ literas Pontificias sibi oblatas fortè dilaceràsset. Igitur Romam ad dicendam causam vocatus quamprimum venit, & ob promptam obedientiam impetravit, ut Seyherus Abbas ad fidem Trevirensium Archiepiscopo promittendam fuerit adactus. Cælestinus paulò pòst creatus Pontifex, factum denuo ratum habuit. An. 1147. Eugenium III. Pontificem in Gallias profectum, factus obviam Adalbero honoravit, Trevirósque Virduno euntem humanissimè invitavit, ubi pari humanitate exceptum ad S. Matthiæ templum deduxit, indéque ad urbem vicináque loca traductam trimestri integro suis aluit impensis. Eodem tempore Pauliniana Basilica, & S. Mathiæ fuerunt consecratæ, institutáque Treviris Synodus, in qua præter alia D. Hildegardis facinora ab Historicis conscripta sunt, discussa & probata. Hinc Pontifex ad Rhemense digressus Concilium Adalberoni tanquam Primati proximum à se tribuit locum: unde denuo lites, authoritate tamen Pontificis sopitæ. Postrema Adalberoni contentio fuit cum Hermanno Comite Palatino, qui Advocatus Ecclesiæ delectus, Ottoni Comiti Rhineco Trisium castrum, infra Cardonam ad Mosellam eripuit, quod cum Otto adstipulante conjuge Trevirensi Ecclesiæ donâsset, Adalbero reddere recusanti armis extorsit, Comite, ut periculum evitaret, cautè declinante. Indictis demum Confluentiæ Comitiis, postquam discordes, & ad civile bellum spectantes nobilium animos felici pacis studio composuit, febri simul & pleuritide correptus exspiravit an. 1152. Sed. an. 20.

LXXXII.

LXXXII. HILLINUS. LVI. ARCH. XI. ELECTOR.

HIllinus eadem ferè ætate electus Archipræsul, qua Conradus III. Imperator vitâ est functus: unde Francofurtum evocatus cum Electoribus Imperii, Fridericum I. cognomento Ænobarbum Imperatorem elegit. Peracta electione Romam missus ad Eugenium Pontificem partim Imperii, partim sui muneris ergo dum venit, Romam venisse & vidisse profuit: præter Pallium enim aliáque Archiepiscopis Trevirorum propria, novis antiqua privilegia sunt confirmata. Crevit inde etiam Electoris authoritas, quæ tum in causis Ecclesiæ, tum Imperii ambiguis plurimùm valuit, tanto nimirum tempore, quanto inter Pontificem & Cæsarem stetit pax integra & amicitia: postquam enim Fridericus Victoris pseudopontificis partes est amplexus, Hillinus domi hærens, vel morbum sensit, vel simulavit. Verùm & domi lis nata cum Conrado Friderici Cæsaris fratre, Trevirensi Advocato Palatino, utì vocabant, præter spem est discussa brevissimè: Imperator namque vel æquitatis studio, vel Electorem sibi lucraturus denuo, sententiam dixit Hillino exoptatissimam. Accessit sententia altera à Friderico pro Electore contra cives lata, qui more novissimo tribus adornare, magistros tribubus præficere, ac jure decernere sunt ausi. Inter partæ pacis deinde studia Hillino curæ fuit, arcem Ehrenbreitsteinianam communire, & necessariis quibusvis rebus instruere; summæ item Trevirorum ædi majus spatium dare, quam curam & mors, & Medici interruperunt an. *1169.* Sed. an. 17.

LXXXIII. ARNOLDUS. LVII. ARCH. XII. ELECTOR.

ARnoldus ab Ubiis translatus Treviros, annitente plurimùm Friderico Imperatore electus, constanter pacem coluit, ut

animarum ſaluti ſe ſuóſque totos ſervaret; quem in finem non paucos ex nobilitate armorum ſuaſores, revera prædones, datâ prædâ remiſit. At Fridericus Lotharingiæ Dux & Comes Naſſovius, cùm arma ponere nullo modo viderentur, uterque Arnoldi felicitate magna repulſus pacem petiit, dum paulò antè petitam negavit. Otium ab armis nactus Archidiœceſin ſuam luſtrando, Eccleſias paſſim ære alieno obſtrictas inſigni liberalitate levavit. Nec multò poſt in Italiam cum Cæſare profectus, poſt optatam Pontifici & Venetis victoriam Alexandrum Friderico vidit conciliari, vidiſſe talia contentus: unde in Germaniam reverſus, Himmerodenſis clauſtri ſolitudine delectatus an. 1183. mortem exſpectatam animo æquiſſimo excepit. Sed. an. 14. Mortuo Arnoldo ſeptem annis à geminis partibus pugnatum eſt, aliis Rudolphum præpoſitum, aliis Folmarum Archidiaconum poſcentibus. Inter quos litigantes gaudere demum licuit tertio, qui fuit

LXXXIV. IOANNES. LVIII. ARCH. XIII. ELECTOR.

JOannes Henrici VI. Imperatoris Cancellarius, ùt vocamus, Diœceſi ſuæ quietem reſtituit, & ejuſdem bona promovit, verè paſtor vigilantiſſimus. Inter opera ejuſdem prima venit urbs Trevirorum novis mœnibus refecta, & templum Noviomagenſe conſecratum. Cum variis deinde Comitibus partim jure, partim gladio certavit, ut rem Eccleſiæ integram ſervaret. A profanis converſus ad ſacra, dum exornandæ ædi ſummæ ſe totum impendit, inconſutilem Chriſti Domini togam denuo inventam confertiſſimo populo an. 1196. exhibuit. Adversùs plurima illius temporis diſcrimina ut immunem ſe ſervaret, nunc Philippi, nunc Ottonis Imperatorem inter ſeſe pugnantium partes amplecti neceſſitas, & mutata in tempore ratio ſuadebat, ubi ab Ottone Treviri accepêre ſingulare privilegium, quod *Fundamentam Treviricæ liber-*

libertatis vocârunt. Id commendandum maximè in Electore Joanne, quòd inter publicas Imperii adversitates Romam sibi præfixerit constanter metam, ultra quam nec passum quidem tentandum esse fixum ratum habebat, amicus nimirum usque ad aram; unde cum Guido ex Cistertiensium Ordine Cardinalis imperante Innocentio III. Pont. partes Philippo Cæsari pertinaciùs adhærentes anathematis sententiâ terreret, continuò Joannes monitis acquievit, atque in Cistertiensium gratiam Romam profectus est, ut vectigalium, quæ in sacri belli subsidium postulabantur, onus averteret. Simile exemplum in Joanne expertus Otto, æstimavit pluris, quàm amavit promptam Electoris hujus erga Pontificem obedientiam. Cæterùm quamvis Treviros, Confluentiam aliásque urbes suas plurimis impensis communiêrit, quin Diœcesin suam copiosis simùlque pretiosis subsidiis recreaverit, facultates tamen finésque Ecclesiæ suæ adeò adauxit & extendit, ut pluribus seculis posteri Joannis nomen celebraverint. Inter communes igitur omnium laudes tumulo illatus est an. 1212. Sed. 22.

SECULUM XIII.

LXXXV. THEODORICUS II. LIX. ARCH. XIV. ELECTOR.

THeodoricus II. origine Comes de Weida, ex Archidiacono Trevirensi & Præposito S. Paulini formatus Archipræsul, in Electoratus sui exordio jam dura passus pronuntiavit: *excelsa munera sunt gravia onera.* Anno nimirum ab electione sui altero ab Ottonis partibus captus, à Friderico Ottonis hoste liberatus est, libertate hac parùm recreatus, quòd multis vinculis obnoxiam sciret. An. 1215. Coloniam abiit, hanc ipsam urbem interdicto subjectam liberaturus. Coloniâ Romam profectus Lateranensi Concilio celeberrimo interfuit, in quo cùm pro Ecclesiæ emo-

emolumento legitimè conſtituta, excitatíque præſentium omnes forent ad ſuſcipiendum bellum ſacrum, Theodoricus inde redux doctrinam diſciplinámque Eccleſiaſticam ſuis Clericis, præſertim majoribus enixè ſimul & ſeverè commendavit. Extructis dein monte Thaborino, ùt vocant, adversùs Naſſovios, & domo Teutonica, Palæſtinæ adeundæ deſiderium concepit, quo Electorem ſuum præcucurrerunt de Trevirenſium gente plurimi. Per Italiam itaque in Orientem translatus, dum ſuâ præſentiâ, conſiliis & promiſſis à Friderico auxiliis quæque præſtare laboravit, in vanum ſe laboráſſe comperit, Friderico in propoſitis & promiſſis parùm ſibi conſtante. Hujus tamen filios, primò nimirum Henricum poſtea rebellem, & demum Conradum Regiâ Imperii coronâ exornari ſuaſit etiam Theodoricus. Ædibus ſacris nunc extruendis, nunc exornandis, nunc conſecrandis, dum ſtrenuam navavit operam, Marpurgi in Haſſia D. Eliſabethæ miraculis clariſſimæ Principis oſſa levavit & honoravit. Cæterùm ut lugubri ſuo ſeculo Eccleſiæ bono nunquam non proſpectum foret, in Conventu Wormatienſi impetravit, ut Epiſcoporum privilegia de jure dicendo firmarentur, & Democratiæ libertas per civitates Germanicas identidem magìs invaleſcens reſtringeretur. Demum an. 1238. in provinciali Concilio Clericorum mores emendare maximopere ſtuduit, ubi veſtitus decens ac modeſtus, & ſimul in domo & choro præſentia cunctis ſeverè eſt imperata; aleæ verò aliíque his non abſimiles luſus prohibiti. Inter tot curas ac labores Theodoricus ſenio confectus, Henricum Oſilienſem Epiſcopum ſibi Suffraganeum delegit. Exemplum Theodorici Epiſcoporum dein plerique ſecuti, morem fecerunt ad illud uſque tempus vix cognitum. Confluentiæ eximii nominis Elector mortuus an. 1242. Treviris eſt ſepultus. Sed. an. 30.

LXXXVI.

LXXXVI. ARNOLDUS. LX. ARCH. XV. ELECTOR.

ARnoldus nepos Theodorici ex gente Isenburgica, dum à Clericis eligitur, nobilitas & populus jungunt studia, ut Rudolphum de Ponte sibi Electorem præficiant. Rudolphus itaque horum favore fretus, ut Pedum impetret, gladium arripit, summámque ædem armis occupat: unde clades mutuæ. Cessit denique meritò Rudolphus, Arnoldo autem Innocentius IV. Pont. Româ Pallium ultro submisit. Hoc animatus favore Arnoldus Reipublicæ tam sacræ, quàm profanæ exornandæ strenuam dedit operam. Operam hanc tamen plurimùm impedivit Fridericus II. Imperator Pontificis, & Imperii Principum sententiâ exauthoratus, in cujus locum cùm promovissent Henricum Hassiæ Landgravium, & hoc defuncto, Wilhelmum Hollandiæ Comitem, etiam Arnoldo variè pugnandum fuit cum Friderici, & Conradi filii partibus. Demum mortuo etiam Imperatore Wilhelmo, cùm varia offerrentur munera Arnoldo, ut Richardum Anglum suo calculo eligeret Imperatorem, muneribus ad dominum suum redire jussis, Imperii Fascibus tanto minùs dignum æstimavit, quanto magìs ambire etiam oblato auro quemquam intellexerat. Ab æquitate igitur maximopere laudatus in arce Thaborina an. 1259. æquissimum adiît Remuneratorem. Sed. an. 17.

LXXXVII. HENRICUS II. LXI. ARCH. XVI. ELECTOR.

CErtantibus inter sese de Pedo & Pallio Trevirensi, Arnoldo de Scleida & Henrico Bollandino, Henricus alter, Decanus scilicet Metensis utrumque præripuit, consecratus Archipræsul unà cum tribus aliis, nimirum Moguntino, Premensi & Magdeburgico Archiepiscopis. At cùm maturè nimis Archiepis-

copalia involâſſet munia, haud exſpectato Pontificis annutu, ſimúlque Theodoricum ad D. Mathiæ Abbatem haud æquis vexâſſet modis, ab Urbano IV. Pont. anathemate confixus, à Clemente IV. Sede remotus, à Gregorio demum X. eidem eſt reſtitutus, poſt ſolutam auri multam abundè gravem. Ita caſtigâſſe profuit multùm; Henrico namque eo ex tempore amicitiâ certare, ædes ſacras condere, exornare, urbes & arces communire, multos plurimis beneficiis honorare in deliciis fuit: Kilburgi namque templum Deiparæ ſacrum excitavit, Canonicis eum in locum agregatis. Mailbergum Diœceſi ſuæ adjecit. Berencaſtellum nova arce communivit. Caſtrum Meginenſe funditus excitavit. Feudorum magnam partem nobilibus conceſſit. Confluentiæ Meinfeldiæq; mœnia ab Arnoldo cœpta abſolvit. Verùm in tributis exigendis immodicus plurimorum adversùs ſe linguas exacuit, & mortem acerbam fortè accerſivit: acutiſſimis enim vexatus morbis, ad Divorum opem confugiſſe eſt viſus. Aut veriùs luit in tempore, ne lueret in æternitate, paratus & pati & dicere cum D. Præſule Hipponenſi: *hìc ure, hìc ſeca, modò in æternum parcas.* Mortuus eſt an. 1286. Bononiæ. Sed. an. 25.

LXXXVIII. BOEMUNDUS. LXII. ARCH. XVII. ELECTOR.

IN electione Clerici rurſum in partes diviſi, Warnesbergium de Dagſtuel dictum, tandem elegerunt. Ex multis igitur eluctatus diſſidiis, præclarè rem pacis bellíque adminiſtrare eſt aggreſſus, utinam meliori tempore, quàm quo Canonici ſummam deſeruerunt ædem, quòd Nicolaus IV. Pontifex in ſuſcipiendis Canonicis non magìs ſtemmate nobiles, quàm doctrinâ & virtute eximios ſecerni & promoveri juſſiſſet, ſi tamen hi nobiles literis, aut optatis Eccleſiæ donis ſuperarent. Pontifex etiam ne fortiùs diceret, quàm faceret, in vacuas Canonicorum ſedes immiſit

misit Petrum Aichspalterum Rudolphi Cæsaris Medicum quondam peritissimum, & Joannem Officialem Trevirensem, ùt vocant: unde genere nobiles mox alios, stemmate nimirum præcellentes sibi junxerunt, neglectâ anathematis sententiâ. Interea Boemundus singulari in DEUM pietate accensus, quotidie ferme ad aras faciebat, pacem Superos rogans. Ut eandem etiam ab hominibus impetraret, prudentiâ prorsus singulari usus est in rebus agendis, præsertim verò in diffidentium animis conciliandis. Facilitate tanta erat præditus, ut sui adeundi copiam nemini facilè negaverit, licèt curis & laboribus, ut probatorum Principum mos habet, occupatus. Circa annum 1292. Noviomagum Constantini M. castris celebre munivit arce: alibi alia molitus, feuda nobilium non paucis concessit. Demum annis & meritis magnus an. 1299. morti succubuit multorum desideriis & lacrymîs deploratus. Sed. an. 12.

SECULUM XIV.

LXXXIX. DIETHERUS. LXIII. ARCH. XVIII. ELECTOR.

Dietherus Adolphi Nassoviensis Principis, & tandem Imperatoris frater germanus, Ord. S. Dominici vir multis dotibus clarissimus, à Pontifice Bonifacio VIII. in Sedem Trevirensium est promotus. Archiepræsulem Canonici mox apposuerunt alterum, nempe Henricum Comitem Virneburgicum in æde Trevirorum summa permagni æstimatum. Diffidiis his ansam dedêre maximam partes parùm amicæ inter Albertum Austriacum, & Adolphum Nassovium de Solio Imperii decertantes. Tandem Albertus Viris ad Rhenum Principibus non tam nunciato, quàm illato jam bello extorsit cum pace obsequium, postquam Bingium occupavit & vectigalia impediit. Trevirenses

cives Henrici Comitis Lüzelburgici in urbem recepti ope maxima freti plenam legendi deinceps Magiſtratus ſibi vendicârunt copiam, Diethero fruſtra ad arma confugiente. Ea tamen Lex ſeditioſis eſt impoſita, ut Archipræſuli ſuo fidem ſacramento firmarent, nec ejusdem ſententiis ſe contraventuros eſſe unquam promiſerint. Confluentiæ non ita res ſuccesſit: ſeditioſi enim cives obſidione cincti, & armis ſunt debellati, eò majori odio in Electorem ſuum accenſi. Odium hoc diminuit, ſi non ſuſtulit mors Dietheri. In æde monaſterii S. Dominici ſepeliri cupivit an. 1307. Sed. 8.

XC. BALDUINUS. LXIV. ARCH. XIX. ELECTOR.

BAlduinus Henrici Lüzelburgici Comitis, & demum Cæſaris frater ſpei maximæ à Clericis poſtulatus, Pictavii primò Epiſcopus eſt conſecratus. Trevirenſibus dein exoptatus, jus à civibus recèns conſcriptum fratris favore & auxilio fretus abolevit. Annis dein proximis Weſaliam & Poppardiam ab Auguſto fratre pro navata fideli opera in bello Italico datas ditionibus ſuis adjunxit, ſervato altiori dominio Imperatori. Henrico Imperatore mortuo triſtiora fata paſſus eſt unà cum univerſo Imperio, dum Electores Imperii in partes geminas diviſi, duos elegêre Imperatores ſolio ſupremo digniſſimos, ſi unum duos poſſet capere ſolium. Balduinus Ludovico Bavaro addictus, in Henricum Coloniæ Electorem Friderici Auſtriaci amicum arma convertit; mox verò rebus Coloniæ compoſitis in Spanhemios & Weſterburgos â ſeditione publica vix remotos tranſtulit. Hactenus tamen multis formidatum Balduinum, & ab Imperatore Ludovico variis beneficiis & honoribus auctum, ac paſſim multorum victorem glorioſum Laureta Spanhemienſis Vidua Princeps ad Moſellam captum Starckenbergicæ arci incluſit, admodum gravi pecuni-

cuniarum summa, & juratis de pace perpetuò servanda pactis redemptum. Hoc maximè modo vicissitudinis humanæ admonitus, Wormatiensem Episcopatum, quin & Moguntinum denuò sibi oblatum, nullo pacto admisit, sed congregata Synodo pro Clericorum reformatione eò curas omnes convertit, ut Benedictus XI. Ludovico Imperatori faveret, & acta Joannis Pont. rescinderet. Cum Eduardo Anglorum Rege annis proximis habita sunt consilia, & pacta inita multis modis vituperata, præsertim à Francis, quorum Regem Philippum conjunctis armis petere erat animus, multo auro corruptus. Mutato rursus Imperii statu, mutatus Elector in Carolum IV. Ludovico Cæsari subrogatum Imperatorem omne contulit studium, quin cum Carolo Gallis adstitit contra Eduardum, aliis summum jus, aliis summam injuriam clamantibus. Güntherum etiam Comitem Schvvartzenburgicum à nonnullis Imperii Electoribus in Cæsarem postulatum armis removit. Ultimis etiam exspirantis vitæ annis nunc belli, nunc pacis studio identidem magìs inclaruit à Brovvero & aliis Scriptoribus dictus *Vir domi forisque prudentiâ, pietate, & fortitudine excellens.* Addere lubet verba ultima: *qui postquam multis partibus Archiepiscopatum amplificâsset, extremum vitæ tempus, ut plurimum in Carthusiana solitudine nocturnísque ac diurnis vigiliis orationibúsque transegit, Seculi illius lumen & Episcoporum decus.* An. 1354. mortuus sepultus est in summæ ædis choro: Sed 47.

XCI. BOEMUNDUS II. LXV. ARCH. XX. ELECTOR.

Boemundus II. ex illustrissima Edendorffiorum de Saræ ponte familia natus, in Sedem Balduini vocatus venit; qui pace cum Trevirorum civibus firmata, & clientelâ diversorum Comitum, oblatis peramicè feudis; sese communire laboravit. Accessit continuò Caroli Cæsaris & favor & gratia, quibus Trevirensium Electori pene negatum est nihil. Unde beneficiorum acceptorum apprimè memor, cùm Treviri Imperatorem excepissent

piſſent Auguſtum Hoſpitem, honoris nihil Boemundus prætermiſit. Inter dona Cæſari gratiſſima venit corpus D. Palmatii Martyris Treviris in Bohemiam translatum donante Boemundo. Annis ſequentibus auctæ & firmatæ Electorales ditiones. Ætate ad ſenium vergente, Boemundi manſuetudine abuſos fuiſſe inter alios memorant Philippum Comitem Iſenburgicum, & Rupertum Palatinum, quorum hic arces firmandis rebus ſuis moliri cœpit, jure à Weſalienſibus impeditus: ille verò Gretenſteinium non procul Vilmaria excitavit: unde Cuno Falckenſteinius ſeneſcenti Archipræſuli in Adjutorem datus, Philippum Comitem cum devicta arce intercepit, & repetita rebellione denuo captum Electoris ſui arbitrio reliquit: Elector verò membris omnibus captus morti ſuccubuit an. 1363. Sed. an. 9.

XCII. CUNO. LXVI. ARCH.
XXI. ELECTOR.

CUno ſtemmate Falckenſteinius ab Innocentio IV. Pont. confirmatus & inauguratus, continuò cum civibus, certis pactus eſt legibus, ut domi res forent quietæ; quem in finem urbi Trevirenſium Hebræorum 50. familias indulſit, quæ tributa ſolverent. Verùm urbs eadem libertatis Democraticæ ſtudio capta, à Cunone vi, ab Imperatore judicio preſſa, ſenſit ſe fruſtra obluctare; unde oblatam ab Electore ſuo pacem admiſit. Hic verò ad Diœceſis curam converſus à Winnebergiis arcis Bilſteiniæ partem cœmit. Molsbergum quoque adjunxit Eccleſiæ, & Comitem Silveſtrum cum prædonum manu latè graſſantem fregit. Andernacenſes non minùs poteſtati ſacræ obtrectantes non ſine multa compeſcuit. Rebus permultis aliis ritè compoſitis bella perpetuò declinare ſtuduit, experientiâ præclarè doctus æſtimare fructus pacis eximios. Tempore pacis exornandis ſacris ædibus intentus, D. Helenæ caput ex Galliis Treviros in ſummam ædem tranſ-

transtulit: dotavit pariter SS. Trinitatis, DD. Nicolai, Agnetis & Georgii aras proventu annuo, ut Sacrum in dies fieret ex voto Bo-emundi. Eadem ætate Engelberto Coloniæ Archiepiscopo vitâ functo, in Sedem invitatus Cuno Administratoris munus, minimè verò dignitatem ipsam admisit, insigni Coloniensis Ecclesiæ fructu, quem in rebus cunctis diligenter quæsivit. Imperatoris Caroli gratiâ potens, privilegia & nova & vetera curavit confirmari, & beneficiis augeri inauditis hactenus, inter quæ venêre telonia Septem-Viris Imperii ab Imperatore donata, ut Wenceslaum filium crearent Cæsarem, tanto Solio futurum indignissimum, præsertim difficillimo tempore, quo Ecclesia & Imperium tempestatibus maximis cœperunt concuti. Archipræsuli interea curæ fuit diversis nobilium clientelis res suas ornare & firmare; nobiles iidem erant Spanhemii, Nassovii, de Marca, Seinæ, de Wiede, Isenburgicus, Reuschenbergii aliique. Brechena inferior ab eodem muris est cincta. Idgensteinii quoque Canonicorum Collegium instituit, hodie hæresi abolitum. Inter postremos labores Cunoni erat expeditio Ravensteiniana, qua unà cum cæteris Ecclesiasticis Electoribus Ludovicum ejus loci dominum, prædonem plurimis gravissimum domuit; quietis demum appetens in Wernerum pronepotem suum Urbano VI. Pontifice annuente, Canonicis verò obstrepentibus Pedum transtulit an. 1388. Sed. an. 20.

XCIII. WERNERUS. LXVII. ARCH. XXII. ELECTOR.

WErnerus de Königsteiniorum stemmate natus, & multis virtutibus exornatus Treviris Archidiaconus, Canonicorum demum etiam admissus est suffragiis. Lite una sublata, mox altera eidem est nata cum sanguine proximis, qui Cunonem Archipræsulem nuper mortuum thesauros soli Wernero cognitos abscondisse crediderunt. Litibus accessère pugnæ,

quarum

quarum alterâ Naſſovium Comitem Molsbergo moleſtum repreſſit, alterâ verò Weſaliam rebellem ſubegit, novo pyrii pulveris & bompardarum uſu victor. Deinde auxilio fuit Friderico Colonienſium Electori contra Engelbertum Marckanum Comitem, quem mox alii vel ſecuti, vel æmulati Wernero bellandi campum aperuerunt. Anno ab hoc altero, nimirum 1400. Wernero & Electoribus reliquis conſilium ineundum fuit de Wenceslao ignavo Imperatore exauthorando, quòd tum Huſſitarum hæreſis in Bohemia maximè ejuſdem indulgentiâ creſceret, tum etiam cauſæ plurimæ inſignem Imperatorem deſiderarent. Electi proinde in Imperatores Fridericus Dux Brunſuicenſis, & hoc mox ſublato Jodocus Moraviæ Marchio: hoc item brevì defuncto Rupertus Palatinus placuit. Ruperto in Italiam profecto, & inde Treviros reverſo, Wernerus interea inſtauratum ab incendiis Witlichium egregii operis caſtro communire cœpit, atque infra Confluentiam Wernersecum arcem erexit. Tandem licèt ſenio confectus, Theodorico tamen Coloniæ Archiepiſcopo adverſùs cives ſuos cum copiis ſubvenit; at inde brevì in arce Burenbergica morbo extinctus eſt an. 1418. Sed an. 30.

SECULUM XV.

XCIV. OTTO. LXVIII. ARCH.

XXIII. ELECTOR.

OTto è Ziegenhemiorum Comitum ſtirpe progenitus, & munere Præpoſiti in æde Treviorum principe ita eſt functus, ut Canonicorum omnium calculis electus, teſtibus lacrymis tantam dignitatem ſeriò deprecatus fuerit, non niſi multorum precibus, & vi amica in Trevirenſium Sedem elatus. Poſt ſedatos continuò Coloniæ motus, Treviros reverſus ad depravatos multorum mores caſtigandos animum appulit, ipſe exemplo ri-

rigidæ castigatæque vitæ amator prævius. Mox inde Martini V. Rom. Pontificis, à quo Pallium accepit, hortatu arma in Hussitas unà cum sociis Principibus convertit, eventu minùs secundo. Inter publicos tumultus Hierosolymam adeundi sacra voluptate captus, abiit, rediitque Clericorum mores multis consiliis & violentis remediis curaturus. Verùm cùm votis non responderet eventus, animo magìs quàm corpore cœpit laborare, & animam suam modis & mediis optimis curare, mortem præveniendam ratus. Confluentiâ Treviros funus perlatum, ad aram Magnæ Virginis est depositum hoc cum elogio: *Humitatis exemplar, Ecclesiasticæ reformationis zelator, Justitiæ, Veritatis & Pacis Plantator, Eleemosinarum largus Dator, requiescat.* Ottone vivis erepto Udalricus de Manderscheid, & Jacobus Sirkius primæ notæ Canonici à pugnantibus partibus delecti, dum causam dubiam egerunt Romæ, Pontifex Martinus V. utroque vivere ac valere jusso, Spirensem Episcoporum multis modis celebratum, Archipræsulem Trevirorum simul constituit & confirmavit, qui fuit

XCV. RABANUS. LXIX. ARCH. XXIV. ELECTOR.

RAbanus cognomento Helmstadius, quem tametsi Eugenius IV. Martini Successor contra Udalricum Manderscheidium pertinaciter suo in proposito persistentem denuo confirmatum propugnaret, pars tamen Clericorum & nobilium in dies major, Udalrico majori studio partim favere cœpit, partim favere non destitit, in subsidium vocatis si non magicis, saltem obscuris artibus; quibus tamen profecère parùm, aut nihil. Rabanus ergo ringentibus hostibus in Sede communitus,* post breve temporis intervallum à Comite Virneburgico armis petitur. Ut pacem quovis auro pretiosiorem daret, & datam conservaret, oppignorationem Schöneci, Schöneburgi, Dunæ, Kempenichii, & Hamersteinii pro 4500. aureorum summa admisit; unde

* *R.P. Kolb, Ser. Episc.*

rurſus diræ & iræ, præſertim cùm ærarium exhauſtum clamitarent, qui fortè exhauſerant. Tot inter ſyrtes & charybdes medius Rabanus, Joannem Epiſcopum Leodienſem in Adjutorem ſibi delegit, telonium & vectigal urbis Marcetúmque Sirckii quondam æmuli partibus pro crediti pignore ceſſit, Epiſcopatum ſuum ſervata in ſuſtentationem auri ſumma non magna dimiſit, æs alienum jam priùs contractum debitis novis augere coactus, morti & Pontifici obedientiæ victima cecidit, inter mortales parùm glorioſus, inter immortales, ùt pars minor, at melior dicebat, immortali gloria digniſſimus. Mort. an. 1439. Sed. 9.

XCVI. JACOBUS. LXX. ARCH. XXV. ELECTOR.

JAcobus genere & cognomento Sirckius Udalrico æmulo meritis major longè, ab Eugenio Pont. confirmatus, Clericos urbem tributorum copiâ ferè ſuppreſſam egreſſos, ad ſexennii tributum pro levanda Reipublicæ neceſſitate pendendum induxit reduxítque, civibus ritè conciliatis. Legationem deinde ob experientiam maximam ad Fridericum Auſtriæ Archiducem, in Alberti II. Cæſaris defuncti locum non ita pridem evectum ſuſcepit, comes Friderico factus, ad coronam Imperii eidem Aquisgrani imponendam, ibidem Archicancellarii Moguntini Electoris loco perfunctus munere; quam ob rem ab Imperatore Regalibus, ùt vocant, ornatus, vectigal Hamerſteinianum impetravit, cui etiam Poppardienſe acceſſit. Ut verò ante alios populum Trevirenſem ſibi arctiùs devinciret, conſules deligendi copiam eidem indulſit, tanto tempore, quanto ipſe viveret. Laboravit inde, ut Carolum Gallorum Regem poſt devictos Anglos nemini non formidatum ſibi benevolum redderet. Dum verò unam vitavit, alteram contra ſe tempeſtatem excitavit, cùm ipſe, & unà Theodoricus Colonienſis Elector in cauſa Concilii Baſileenſis Eugenio IV.

Pon-

Pontifici palàm refragari non sunt veriti. At discussâ tandem hac tempestate universæ Ecclesiæ maxima, Jacobus Jubilæi ergo Romam profectus, dum rediit, Academiæ Coloniensium more & ritu formandæ animum applicuit. Ubi dein Nicolao V. Pont. & Friderico Imperatore annuentibus, supremam Metensis Ecclesiæ curam, pro levanda suæ diœcesis inopia, in se suscepit, morbo correptus, apoplexiæ tandem succubuit an. 1456. Elector DEI Religionisque cultui impensè deditus. Sed. an. 17.

XCVII. JOANNES. LXXI. ARCH. XXVI. ELECTOR.

JOannes Marchio Badensis à diffidentium in electione Canonicorum parte dum postulatur, admittitur ab omnibus. In eodem virtute eximia, & dispensatio Romana ætatis defectum supplevêre: Calistus nimirum III. Pallium, Fridericus verò consueta in Imperio Electoribus insignia Joanni concesserunt. Ita confirmatus & exornatus, ut Trevirensem Senatum populúmque devotum sibi redderet, consulum legendorum potestatem eidem & ipse non negavit; unde velut in triumpho 2500. equitum Treviros advenienti sacramentum cives dixerunt, institutis epulis lautissimìs, & adornatis ludis equestribus. Academiæ deinde penitùs absolvendæ, & Doctoribus instruendæ strenuam navavit operam: anno namque Archiepiscopatûs 16. Salutis 1472. *Actus, ut vocamus, Universitatis publicus omnium primus est celebratus, quo Archiepiscopus Trevirensis Cancellarius Academiæ perpetuus, Conservatores verò præpositus ædis summæ, Abbas S. Mathiæ & Prior Carthusiæ, ac demum Rector Nicolaus Raemsdonckius renuntiatus est. Jus protectionis civitati duobus aureorum millibus Joannes Elector transcripsit* Hæc Masenius. An. 1473. Fridericum Imperatorem cum Maximiliano filio, & Carolum Burgundorum Ducem cum plurium Ducum ac Principum numero excepit, ubi actum de conjugio Maximilianum inter & Mariam Caroli Ducis filiam ineundo. Legatus ea in re Gandavum missus, ac inde Treviros reversus, gra-

vi cum Manderscheidiis Comitibus urbem bello implicitam ritè composuit. Reparandis etiam ædificiis variis intentus, Ecclesiasticam simul disciplinam erexit. An. 1488. bellum Schöneci Superioris, & Bilsteinianæ ditionis causâ à Palatino & Virneburgiis Comitibus motum, Joannem quoque ad sumenda arma excitavit, intercessione tamen Virorum Principum nova pace compositum. Parùm æque tamen bello se impeditum fuisse, commentario juris sui edito luculenter docuit. A bellis otium nactus, Sacerdotum quorumvis emendandis moribus operam dedit, Synodo hanc in rem Treviris indicta. Correctionem etiam admittere adacta sunt Monasteria diversa, ut emendationem acciperent. Eadem ætate Boppardia urbs privilegiis ab Archiduce Maximiliano confirmatis freta, & nobilium quorundam instinctu irritata, rebellionem est molita, sed anathematis fulmine percussa haud manus dedit. Quare Archipræsul vicinorum Principum ope nixus, obsidione cinctam civitatem ad obsequium reduxit. Anno 1499. cùm in arcem Cochimensem divertisset, conclavi pulvis pyreus de industria subjectus & accensus, unà cum ædificii parte Electorem in auras evibravit, non absque miraculi existimatione servatum. Annis eo ex tempore duobus duntaxat vivit, mortuus an. 1501. Sed. an. 47.

SECULUM XVI.

XCVIII. JACOBUS II. LXXII. ARCH. XXVII. ELECTOR.

JAcobus II. stemmate Marchio Badensis, Joannis Electoris nepos, Alexandri VI. Pontificis authoritate invitis Canonicis Archipræsul est missus, & ab iisdem admissus denique, postquam Georgius Rheni Comes Palatinus Jacobo oppositus suo cessit jure. Jacobus igitur jam undique in Solio firmatus, Treviro-

virorum urbem parùm amicam sibi aggressus, indulta à Joanne patruo privilegia rescidisset, nisi amicorum multorum preces obstitissent. Subinde partim gliscentibus, partim in apertas flammas erumpentibus inter Hungaros & Turcas, inter Palatinos & Bavaros, inter Maximilianum Cæsarem & Venetos bellis, consiliis passim adhibitus publicis, cùm Coloniam à Cæsare missus veniret inter Senatum & cives futurus arbiter, morbo ibidem ultimo prostratus Elector doctrina insigni, & pari virtute illustris, multorum dolore maximo ad plures abiît an. 1511. Sed. an. 8.

IC. RICHARDUS. LXXIII. ARCH. XXVIII. ELECTOR.

Richardus è Greiffenclauiensium familia celeberrima oriundus, communibus omnium Canonicorum votis in supremam Trevirorum Cathedram est evectus, Princeps tanta Sede, testibus virtutibus sanè rarissimis, nequaquam indignus. Archiepiscopatus sui initio Maximilianum Cæsarem Comitiorum causâ cum numeroso Virorum in Imperio Principum comitatu venientem excepit, cujus precibus Augustis, & plùs qnàm armatis reconditum in ara principe Togæ Dominicæ, & primæ notæ Reliquiarum thesaurum luci publicæ reddidit, ingenti & vix unquam Treviris spectatæ hominum multitudini exhibitum: unde in urbem etiam manavit pestis, & Comitia Ubios translata sunt: literas paulò pòst Richardus à Leone X. accepit, quibus Maximilianum Imperatorem adversùs Selimum Turcarum caput supremum, jam Persarum victorem Europæ formidandum excitari desiderabat. Verùm cùm Franciscus I. Galliarum Rex Mediolanensium Ducatui immineret, hujus utpote hostis potentissimi & proximi avertendi cura prævaluit in Cæsare, qui in Trevirorum cives, Gallorum partibus apertè faventes, severè animadvertit. Inde Maximiliano fatis concedente desideria omnium pu-

blica, præſertim Richardi in Comitiis præſentis, ſunt converſa in deligendum Imperii Supremum Moderatorem, quem Status Carolum V. dixêre, ringente æmulo Rege Franciſco. Reditum Auguſtâ Aquiſgranum, Aquiſgrano Wormatiam, ubi Richardus Lutheri partes ad ſaniora conſilia capeſſenda inflectere fruſtra conatus, & domum reverſus, cum Franciſco de Sickingen Viro nobili & armis aſſueto bellare coactus eſt. Is ipſe Franciſcus Lutheri placitis corruptus, & perinde Richardi ex aſſe Catholici Electoris hoſtis effectus, abundè magnam militum copiam ſub falsò prætenſis Cæſaris auſpiciis conductam, repentè in Diœceſin Treviricam induxit. Verùm hic juſtas brevì dedit pœnas Electori Richardo, qui Gerlaco Iſenburgico, quem ſuæ militiæ præfecerat Ducem, fretus, cum prætoriana cohorte Treviros ingreſſus, civibus ad ſui ſuorúmque propugnationem animos addidit: dúmque ſubſidiariæ Richardo copiæ adventare propiùs nuntiabantur, Sickingius terrore perculſus, fuſus, fugatus, propriis poſſeſſionibus exactus, & paulò pòſt vitâ exutus eſt: Richardus verò ſpoliis locuples reverſus, bellicis tormentis de victo hoſte relatis Ehrenbreitſteinianam arcem inſtruxit, & auxiliorum vicem Palatino Duci, & Haſſiæ Principi, adversùs ſeditioſos agreſtes pugnantibus, rependit. E Martiis campis ad Comitia Spiram, & inde Ratisbonam vocatus, cùm pro Hungaria & Germania ſtrenuè conſervanda rem egit, interea cives Trevirenſes Lutheri dogmate malè corrupti, Clericis inaudita hactenus onera imponi poſtulabant. Verùm Richardus ad propria reverſus cives, alieno exemplo territos, ſuáque authoritate in ſpeciem minimùm compoſitos, eo tempore in officio continuit, annis ſequentibus inſtar flammæ in apertum incendium erepturos. Denique poſt Comitia Ubiorum pro Electione Ferdinandi I. in Regem Romanorum celebrata, morbo proſtratus repentino, non ſine dati veneni ſuſpicione eſt mortuus Witlichii an. 1531. Sed. an. 20.

C. JOAN-

C. JOANNES III. LXXIV. ARCH. XXIX. ELECTOR.

JOannes Metzenhusanæ stirpis insigne decus, dum summæ Ecclesiæ Præses præponitur, priora merita adeò auxit posterioribus, ut unà omnium eligentium suffragiis Elector electus, Clementi VII. Pont. & Carolo V. Cæsari pergratus, ab horum priore Pallio, à posteriore Electorum insignibus sit exornatus. Pacis idem liberalibúsque addictus studiis, neglectum à civibus Academiæ resumpsit sibi patrocinium, Viris doctissimis eam in rem accersitis, quos inter fuit Ambrosius Pelargus è D. Dominici Ordine Theologiæ Doctor, & fidei propugnator insignis. Non minùs iis temporibus lapsam disciplinam & justitiæ tribunalia neglecta reparare occipiens, componendis de Religione dissidiis inter alios Viros Principes à Cæsare constituitur. Verùm improviso correptus morbo in arce Dansteiniana an. 1540. morti succubuit. Sed. an. 9.

CI. JOANNES LUDOVICUS. LXXV. ARCH. XXX. ELECTOR.

JOannes Ludovicus ax familia de Hagen oriundus, summo Nobilitatis Ecclesiasticæ consensu ad supremam Trevirorum Cathedram evectus, consuluit tempori ac necessitati; nam novorum dogmatum probè memor, Bartholomæum Latomum per annos 9. Lutetiæ eloquentiam professum, & aliàs diverso doctrinæ genere instructum, magno Catholicæ Religionis bono à consiliis esse sibi jussit, in publicis Imperii Conventibus futurum Oratorem, & in Fidei Controversiis Orthodoxæ veritatis defensorem. Anno. 1542. in Comitiis Spiræ & Norimbergæ Joanne Ludovico præsente auxilia contra Mahometanos sunt decreta, eventu parùm felici: reversus eam ob rem etiam ex Afri-

ca Imperator Carolus cum Electore hoc Confluentiæ rem transegit, quam brevì secuta pax Carolum Cæsarem inter & Franciscum Regem, Ecclesiæ profuit: actum namque cum Paulo III. Pontifice de congregando Tridenti Concilio, quod anno 1545. inchoatum. Interea Ludovicus laboribus & lenta tabe consumptus, Confluentiæ mortem oppetiit an. 1547. Sed. an. 7.

CII. IOANNES V. LXXVI. ARCH. XXXI. ELECTOR.

JOannes sanguine Isenburgicus Comes in Comitiis Augustanis Carolo Imperatori & Synodo Tridentinæ fortiter adstitit. Tridento Treviros relatus, indictâ & ipse Synodo instar boni Medici, ut saluberrimo pharmaco mederetur multorum malis, à semet curando exorsus, suos sibi defectus, promissâ dicenti veniâ, exponi publicè postulavit; cujus præclarum exemplum Antistites reliqui imitati, ultro corrigi non detrectârunt. An. 1551. cùm Philippum V. Hispaniæ Regem per Germaniam ad Belgas transeuntem Saræponti humanitate summa excepisset, ad Concilium post remota tantisper bella denuo Tridentum profectus; at Mauritii Ducis Saxonici ab Imperatore Carolo defectione, & Ecclesiæ suæ periculo maximo territus, domum repetiit. Et sanè properato opus erat; nam Marchio Brandeburgicus Mauritii in armis & novis placitis socius, haud longo tempore abfuit; qui postquam Herbipolensem, Bambergensem & Moguntinam Diœceses, sacra profanáque vastando, peragrâsset, Electore Joanne contempto, in ditiones Trevirenses irrupit, relictis vix non barbarorum more vestigiis funestissimis. Inter hæc animi corporísque valetudo multis malis, præsertim paralysi graviter afflicta, Archipræsulem in monte Thaborino mortuum, & mox Confluentiam translatum sepulchro intulit an. 1556. sed. an. 9.

CIII.

CIII. JOANNES VI. LXXVII. ARCH. XXXII. ELECTOR.

JOannes ex antiqua & illustri stirpe *de Leyen*, quam alio nomine *de Petra* celebrem, novimus, prognatus, & Joanni ægritudine afflicto jam Adjutor exoptatus, eodem defuncto, communi omnium calculo Archi-Præsul est promulgatus. Paulò pòst Francofurtum evocatus, unà cum Electoribus reliquis Ferdinandum I. dixit Imperatorem Carolo, invito licèt Pontifice, solitudinem quærente. Francofurto Augustam ad celebrandum Imperij Conventum translatus, tristia accepit nova Treviris data: Caspar nimirum Olevianus origine & religione Trevir, sed inde à Calvinianis Genevæ fallaci dogmate imbutus, præter Dialecticam sua placita indulgente Senatu, & applaudentibus ex civitate multis cœpit explicare. Elector itaque redux, sed in urbem ægrè receptus, cùm sanis consiliis non valeret infringere corruptorum jam & corrumpentium audaciam, urbe rursum egressus, omnes aditus illius interclusit, ne alimenta aut merces interclusis advenirent. Hoc incommodo maximo excitati prævalentésque Orthodoxi Calvinianos in vincula conjectos, venientis Principis arbitrio reliquêre. Perquam opportunè Treviros ad Joannem venit Commendonus Legatus Pontificius, & mox Witliaci Jacobus Laynius Societatis JESU præpositus Generalis, ùt vocamus, quorum consiliis res Catholica in Trevirensi Diœcesi est confirmata. Francofurtum denuo evocatus, Maximilianum II. unà cum Sociis Electoribus dixit Imperatorem, anno priori, quàm Tridentina Synodus ad finem fuit perducta. Imperante novo Cæsare cives Trevirenses rursus impatientes fræni, jura Imperij urbibus propria sibi deberi vociferantes, externa vocavêre præsidia, causâ ad tribunal Cæsaris delatâ. At dum Cæsaris exspectavit, sententiam mortis animo excepit æquissimo Confluentiæ mortuus an. 1567. Sed. 11. Arch.

R. P. Kolb, Ser. Episc.

CIV. JACOBUS III. LXXVIII. ARCH. XXXIII. ELECTOR.

GEnus perantiquum ab Eltz dictum Jacobo indidit inſigne nomen, majus nomen dedêre merita, ob quæ à congregatis Confluentiæ Canonicis electus, profeſſionem Fidei juxta Tridentini Concilii formulam edidit. Tum verò civium ſuorum ad libertatem Imperii anhelantium animos, cùm fruſtra per Legatos Septemvirûm ad obſequium flectere conatus fuiſſet, evocatis ex urbe Clericis cives obſidione cinxit; quæ tamen brevì ſoluta eſt, cauſa à Cæſare Electorum arbitrio commiſsâ. Dum dein decretis à Synodo Tridentina relictis intentus, eadem per Archidiœceſin ſuam promulgavit, denuo ad Spirenſia vocatus Comitia, Maximiliani II. Cæſaris filiam Eliſabetham, ut Carolo Gallorum Regi ſponſam adduceret, eſt rogatus. Interea ſedes Patribus Societatis JESU in urbe amplior conceſſa, novatoribus verò aulæ aditu interdictum fuit. Eccleſiaſticam quoque Curiam reformavit, & Clericos vel ad nuptias, vel ad luxuriam proclives honoribus exutos, ignominiâ notavit. In Comitiis Ratisbonæ habitis Lutheranorum cohorti libertatem Auguſtanæ Confeſſionis per univerſum Imperium poſtulanti Jacobus conſtantiſſimè reſtitit, non ita ſibi conſtantibus Viris Orthodoxis aliis. Tandem ex Rudolphi II. Cæſaris ſententia Treviri Archi-Epiſcopo ſuo ſubjecti Sacramentum usque hodie ſervatum dixêre. Quare portis univerſæ civitatis affixa ſunt Eccleſiæ inſignia; Politia reformata, Religio confirmata, Academica ſtudia inſtaurata: atque adeo munere ſuo functus optimè quievit Jacobus an. 1581. Sed. an. 14.

CV. JOANNES VII. LXXIX. ARCH. XXXIV. ELECTOR.

JOannes genere Schönenbergius, triplici munere, nimirum in ſumma æde Præpoſiti, in urbe Gubernatoris, in Academia

mia Rectoris clarissimus, Mitrâ proin tantâ, quanta est Trevirensium, judicatus est dignissimus, Augustæ Vindelicorum Mitrâ & Pileo Electorali exornatus. Augustâ domum reversus Gebhardi Truchsessii, Coloniæ Archi-Episcopi defectioni sese opposuit medium. Ille verò cùm respueret sana consilia, Ernesti Bavariæ Ducis surrogationi haud ægrè adstipulatus est, à quo dictum Electorum omnium nomine sacramentum excepit. Stimulante dein Archi-Præsulem Legato Apostolico, producta denuo post annorum 40. intercapedinem Toga Domini, ingenti affluentium numero est exhibita. Anno 1591. Bojariæ Principes Philippum & Ferdinandum in Canonicorum numerum admissos singulari honore excepit, & præsentes fovit, exemplum Electoris sui pro viribus imitante Magistratu & Academia. Par honor exhibitus est Archiduci Ernesto Belgium petenti. Annis postremis non uno duntaxat vexatus morbo, argumenta multa insignis patientiæ, religionis, & aliarum multarum virtutum ostendit, donec denique Confluentiæ an. 1599. animam multis meritis pretiosam creatori suo reddidit: exta & cor in templum Societatis JESU, cujus author erat, inferri jussit. Sed. an. 18.

SECULUM XVII.

CVI. LOTHARIUS. LXXX. ARCH. XXXV. ELECTOR.

ANno 1600. Lotharius stemmate Metternichius in Sedem Joannis evectus, aulæ suæ non admodum probatæ mores ac ministeria justissimis legibus ante omnia adstrinxit. Sacris dein Exercitiis, ùt vocamus, in domo Probationis Soc. JESU, se totum impendit, ut sacræ, quin & profanæ militiæ se ritè accingeret & Archi-Præsul & Elector. Et hem! anno ejus-

dem ſeculi primo Henricus Seinæ Comes Clericum exuit, ut maritum indueret, fidei etiam avitæ factus deſertor, qui quòd improlis diem obiîſſet, de feudo relicto lis graviſſima inter Electores quatuor interceſſit, vincente demum Lothario. Annis proximis Orthodoxos inter & Heterodoxos Principes nunc Heidelbergæ, nunc Ratisbonæ, nunc aliis in urbibus agitata varia conſilia Lotharium celeberrimum reddidêre, utpote cujus authoritate præcipua Confluentiæ, Fuldæ & alibi Catholicorum conventus Proteſtantium machinis obſtitêre, præſertim poſtquam Confluentiæ Catholicorum Principum fœdus an. 1609. eſt erectum, *quod Ligam* dixêre, & ejusdem Caput Ducem Bavarum elegêre, Pontifice ac Cæſare factum probantibus. Diſcordia etiam inter Rudolphum Imperatorem & fratrem Mathiam gravior, Electori huic multa faceſſivit negotia, quæ tandem Rudolphi grandior ætas & mors diſcuſſit; Proteſtantium verò propoſita firmavit. Interea tamen dum foris plurima egit Lotharius, domi neglexit nihil, nunc inſtaurandis & exornandis templis, nunc emendandis moribus, nunc reducendis Acatholicis intentus; quam ob rem Clericis ſuo munere fungentibus & Monachis ſeſe exhibuit beneficentiſſimum; inter priores numerati è Societate JESU Patres ingentia accepêre beneficia ringentibus Heterodoxis. At cùm inter tot curas publicas ætas ingraveſceret, Adminiſtrationis & curarum ſocium admiſit Carolum nepotem, ſuo & multorum aliorum bono maximo. Dum domi itaque Elector rem curat, animæ ad mortis luctam præparandæ ſuo tempore memor maximè, interea Maximilianus Bavarus Supremus militum Dux, & Joannes Tillius commilito ſtrenuiſſimus memorabili victoria Chriſtianum Anhaltinum Friderici Palatini, & confœderatorum Ducem poſtravêre, non minùs rem ſtrenuè agente Spinola Duce, qui Friderico Palatinatum ademit. Verùm inde tempeſtas major exorta, dum Mansfeldius, Chriſtianus Brunſvicenſis, & Fridericus Marchio Durlacenſis cum Anglis Batavisque

que Friderico Palatino junguntur, & ad prælia victores provocant probè gnari, Lotharium domi consiliis & missis auxiliis pugnare; unde & hujus ditionibus illatum bellum, & hostes, & amicos accivit Reipublicæ parùm sæpe proficuos. Curis igitur præsertim Martiis, & annis confectum corpus cùm traheret annorum 75. jam Elector, animam exquisitis à tenera jam ætate virtutibus exornatam, mors à corpore separavit an. 1623. Sed. an. 24.

CVII. PHILIPPUS CHRISTOPHORUS. LXXXI. ARCH. XXXVI. ELECTOR.

PHilippus Christophorus è clara familia de Stötern prognatus, in Episcopum Spiræ jam antea electus, & Cameræ Imperialis Judex constitutus, in Archipræsulem & Electorem Trevirorum eligi est promeritus. Exornatus Pallio ab Urbano VIII. Pont. Abbatiam S. Maximini, Abbate ejusdem paulò antè defuncto, in commendam, utì dicunt, admisit, duæ res Cæsare, Rege Hispano, & ejusdem Monasterii Viris Religiosis vehementer repugnantibus, gravissimi dissidii & belli occasio fuit: lis namque post breve temporis intervallum Archi-Episcopum inter & Metternichios, item inter eundem Archipræsulem & cives ad tributa varia solvenda coactos orta, in partes maximè adversas dissecuit utrosque: Meternichios enim Canonici plerique, & cives secuti, Hispana præsidia in urbem admisêre, negato aditu confœderato militi, quem Elector advocârat. Eodem tempore à tergo hostis gravior Gustavus Suecorum Rex adfuit, qui victo fugatoq; prope Lipsiam Tillio per Franconiam venit, & Moguntiâ expugnatâ Confluentiæ, Coloniæ & aliis urbibus paria fata minitatus est. Christophorus igitur hostem metuens, Regem Galliæ auxilia rogavit, dum Metternichii cum sociis ad Cæsarem confugerunt. Præstò

adfuêre Gallorum mixta Suecis auxilia, quibus conceſſa Philippopolis, & arx Ehrenbreitſteiniana, ſimúlque aperta Trevirorum urbs patuit venientibus. Tum verò ſubditi pro libitu tributa pendere juſſi, unà cum Canonicis & Viris Religioſis; eorundem aliqui anathematis ſententiâ condemnati; Metternichii proſcripti, & novi in Cathedralem ædem adſcripti Canonici; Richelus Cardinalis Gallus Adjutor Archi-Epiſcopi conſtitutus eſt, facta hæc omnia reprobantibus Legato Pontificio, Cæſare & Viris per Germaniam Principibus: unde Cæſareæ cohortes Philippopolim, ejectis Gallis improvisò occupant, Hiſpani verò Duce Embdano concubia nocte Treviros invadunt, Electorem captum in Belgium abripiunt, Metternichiis rerum potitis. Luxenburgum usque captivus fuit perductus; Luxenburgô Namurcum, inde Genevam tranſeundum fuit. Anno 1637. invitatus ad Comitia Ratisbonæ celebranda, ubi Donawerdam usque pervenit, Linzium ſibi petendum eſſe intellexit, fruſtra cum Palatino adversùs Ferdinandi III. Imperatoris electionem proteſtatus. Diſponente Pontifice Viennam Auſtriæ Linzio perductus, Pontificio Nuntio cuſtodiendus traditur. Anno demum 1645. pervincente Gallorum Rege Trevirenſium Sedi reſtituitur eo pacto, ut nullam de hoſtibus vindictam ſumeret. Verùm eodem anno Turenii Galli copiis adjutus, Hiſpanos Treviris exigit; Wiſmarienſes ſibi juratos amicos in præſidio retinere ſatagit; Canonicos & ad D. Maximinum Viros Religioſos, Cæſare licèt vetante perſequitur; literas appellationis ergo ad Pontificem mittendas comburit, multa alia parùm Pontifici, Cæſari & Imperio grata molitur ſuam in perniciem: urbe namque Canonicis favente, & ad reditum invitante, duo eorundem, nimirum Caſparus de Petra, & Cratzius venêre cum addicto ſibi milite, quo rurſum concluſus Archipræſul Chriſtophorus per arbitros pacis leges novas, & Adjutorem ſibi alium dari permiſit, ſpe de Cratzio aſſumendo concepta.

Ve-

Verùm Suffragiis plurium electus Casparus de Petra, & Pontifici & Cæsari placuit. Annos deinde non nisi geminos inter mortales egit Elector an. 1652. post diuturnas morbi molestias extinctus annorum 87. senex, numerans à sui electione an. 29. Mortuo scriptum Epitaphium hoc: *Satis est, quiescat anima & cineres: sat multa fecit & passus est. Habeat quietem moriendo, quam vivendo habere non potuit.*

CVIII. CAROLUS CASPARUS. LXXXII. ARCH. XXXVII. ELECTOR.

FAmiliæ nobilissimæ de Leyen, seu Petra germen Carolus Elector, permultos collegit fructus per annos diuturnæ pacis maximè frugiferos. At demum Gallorum Rege Ludovico XIV. & Coloniæ Electore fœdera nectentibus, Cæsari & Imperii Principibus parùm amica, hanc ob rem urbs Trevirensium à Gallorum exercitu obsessa, expugnata, & ab expugnatoribus propugnaculis novis munita est, monasteriis compluribus, inter quæ & S. Maximini nobilissimum fuit, solo æquatis. Anno dein 1675. à Carolo Lotharingio, & Wilhelmo Luneburgico Ducibus supremis victi Galli, severas DEO vindici dedêre pœnas: Vignoroyus namque monasteriorum princeps vastator, dum faces subdere cœnobiorum ultimo paravit, à furioso equo in fluvium præcipitatus interiit. Bovillerius inter Gallos supremus Treviris præfectus tormenti globo fœdè laceratus, exspiravit; supremus Gallicani exercitus Dux Crequius captus majori vitæ, quàm mortis dolore, vidit suorum vulnera & funera plurima, amissam victoriam, urbem Trevirensium cum Saraburgo suis reddi dominis, triumphante Cæsare. Hoc rerum eventu lætus Elector Casparus, dum multa molitur, ut cuncta bello destructa restituat & instauret, tumulo illatus curas maximas in Successorem transtulit an. 1676. Sed. an. 24.

CIX.

CIX. HUGO. LXXXIII. ARCH. XXXVII. ELECTOR.

JOannes Hugo Caroli Caſpari Electoris ex ſorore nepos , ex perilluſtri ſanguine de Oresbeck dicto , in Ducatu Juliacenſi natus , & ex Adjutore Archipræſul creatus , relictas ab avunculo curas in ſe ſuſcepit ſtrenuè , quamdiu per pacis otium licuit. At brevi tempore licuiſſe doloris maximi argumentum erat ; anno namque 1684. poſt expugnatum Luxenburgum, à Gallis illata pertulit mala plurima: ab iisdem prætenſo in Treviros Comitum Luxenburgicorum jure urbs hæc Electoralis magna ſui parte eſt deſtructa, Gallis conſilia ſaniora & quasvis preces eludentibus : unde Electori in arcem Ehrenbreitſteinianam migrandum , & permanendum fuit longo tempore. Extructum in Archiepiſcopali ſolo à Gallis munimentum Treviris adverſum nomen Montis Regalis obtinuit , quorumvis ſubditorum Trevirenſium grande terriculum , unde tributa colligi , & vim facilè inferri poſſe noverant. Confluentia etiam à Gallis obſidione tentata , non tamen fuit expugnata. Anno 1697. pax Riswikiana recreare Electorem unà cum aliis Viris Principibus videri poterat , qua inita mons Regalis deſtructus , & ditiones Trevericæ à Gallis relictæ , Archipræſuli ſuo ſunt redditæ ; verùm an. 1700. ſine prole Carolo II. Hiſpanorum Rege mortuo , dum Mars evocavit in arenam & Cæſarem & Gallorum Regem cum ſociis , nunquam licuit Treviris eſſe ſecuris. Bellis igitur perpetuis vexatus Hugo Elector , & curis attritus an. noſtri ſeculi 11. tumulo eſt illatus , poſtquam annis 35. parùm quietè ſedit.

SECULUM XVIII.

CX. CAROLUS JOSEPHUS. LXXXIV. ARCH. XXXVIII. ELECTOR.

CArolus Josephus ex antiquissimo simúlque Regio stemmate Lotharingico natus anno 1680. anno 1693. Equestris Ordinis in Castilia Prior, ùt vocant, Magnus creatus, crescentibus annis virtutibus suis multis, & meritis in ætatis flore jam magnis, Episcopus Olmuzii anno 1695. & annis elapsis tribus Osnabrugensis; hujus verò seculi anno 10. Treviris Adjutor confirmatus, an. dein 11. ibidem Archiepiscopus est constitutus, periculoso sanè tempore, quo inter sacrum saxúmque, Confœderatas nimirum, & Gallorum copias medius, cùm eligeret exemplo majorum & antecessorum, nec non aliis permultis commotus argumentis Germanorum partes, sine sua culpa offensæ dedit locum. Tandem pace Rastadiana firmata, firmam Treviris Sedem figere dum insedit animo, consummatus in brevi multa explevit tempora, Elector omnibus boni ac perfecti Principis excultus donis, & fortè eas ob causas Superis quàm hominibus pretiosior, de quo procul dubio posteris legenda dabunt plura Annales Trevirorum ab iis in lucem edendi authoribus, qui Brovveri & Masenii exempla sequi suis in deliciis numerabunt. Sed. an. 4.

CXI. FRANCISCUS LUDOVICUS. LXXXV. ARCH. XXXIX. ELECTOR.

FRanciscus Ludovicus Dux Palatinus Philippi Wilhelmi Electoris filius, è quali & quanto stemmate Anno 1664. sit natus, patet orbi universo; quem Domus Neoburgica Capitibus ex utroque sexu partim coronis, partim infulis variè exorna-

ornatis decoravit. Quàm eximiis dotibus, & præclaris meritis tum natura, tum maximè idonei moderatores, tum etiam induſtria propria Principem à teneris annis excoluerint, ſi verbis exprimere nolint Hiſtorici, viventis modeſtiâ prohibiti, abundè produnt legitimæ Electiones non paucæ, & facta encomiis digniſſima. Anno nimirum 1683. Epiſcopus Breslavienſis electus, in Principem Elvaci Præpoſitum deligi an. 1694. eſt promeritus. Eodem anno Epiſcopus Wormatienſis, & Equitum Teutonicorum Supremus Magiſter confirmatus, ter felici, ſi non corona, ſaltem coronide ſeculum clauſit ſeptimum ſupra decimum. Noſtri hujus ſeculi Electori Moguntiæ Adjutor datus elapſo deinde luſtro unico, Trevirenſibus ipſe Elector eſt exoptatus. Archipræſul unà pluribus par Eccleſiis, & Princeps Principatibus. Hæc aliáve, quoniam in vulgus etiam ſunt notiſſima, non ſilere, ſed paucis aperire calamô conſultius fuit. Facta & verba tacere multa alia, ſuadet ratio & methodus Hiſtorica plana atque ſyncera, quæ mavult taceri virorum encomia, quàm aut verè adulari, aut ab adulatione remotam non videri.

PRÆ-

PRÆFATIO BREVIS AD LECTOREM DE SERIE COLONIENSIUM EPISCOPORUM ET ARCHIEPISCOPORUM.

DIu desiderantem, diu quærentem, & anhelantem ad Coloniensium Episcoporum & Archiepiscoporum paulò copiosiorem Seriem cognoscendam, destituit adeò eam habendi copia, ut præter eorundem nomina, & gesta paucissima, aliud ipsa Colonia non miserit, etsi rogata multùm. Quare deliberavi mecum, an satiùs non sit, Seriem hanc penitus omittere, quàm nude tantùm Archiepiscoporum nomina in Serie exprimere. Tandem ea præponderavit sententia, quæ suasit, ut unà cum paucis facinoribus scriberentur præclara Archiepiscoporum nomina datura, utì spes est, Coloniæ Historicis ansam scribendi plura de domesticis, & rebus, & rerum Dominis. Æqui igitur boníque consule, Lector Benevole, hanc præsentem in Coloniensi Serie paucitatem, cui si ipse augmentum dare velis, laudabunt te mecum Lectores multi.

SERIES EPISCOPORUM COLONIÆ.

PERIODUS I.

SECULUM PRIMUM.

I. D. MATERNUS.

D. Maternus Episcoporum omnium Coloniæ primus, inter Pontifices Romanos antesignani D. Petri discipulus, & inde discipulorum multorum Magister, oviúmque plurimarum pastor qualis quantúsque extiterit, vide Seriem Archi-Episcoporum Trevirensium. Sedit an. 40. mortuus an. 115.

SECULUM II.

II. D. PAULINUS.

SI ritè scripsit unà cum authoribus aliis Stangefolius Canonicus in Annalibus Circuli Westphalici, primus à D. Materno

terno Ubiorum ſacra paſcua paſtor excoluit D. Paulinus Martyrio glorioſus ; cui tamen adverſantur verba Coloniæ notiſſima hæc:

Paſtorale Pedum, quis poſt hæc rexerit urbis
Agrippæ Veterum nil monumenta docent.

Jmò quis ordine tertius Colonienſium Cœtum direxerit Præſul Coloniæ maximus, his pariter verbis indicant abundè Colonienſes:

Tempus edax rerum rapuit quoque nomen & acta,
Tertius Antiſtes, queîs celebrandus erat.

Nihilominus Stangefolius ex antiquo Chronico perhibere conatus eſt, loco tertio inter Epiſcopos Colonienſes veniſſe *Charentium* nomine; alii verò ab hoc diverſi contendunt, tertium Ubiorum Epiſcopum *Marcellum* fuiſſe appellatum; at præter nomen & ſeculi II. finem poſteris relictum, ajunt nihil.

SECULUM III.

IV. D. AQUILINUS.

DUm Alexander Severus Imperii faſces tenuit, & hujus Auguſta Genitrix Mammea, teſte D. Hieronymo, Eccleſiam Orthodoxam honoravit, interea Coloniam D. Aquilinus illuſtravit, & virtutum, & doctrinæ Chriſtianæ radiis, quos auxiſſe plurimùm ea ætate ferunt D. Urſulam, inter Virgines Anglicanas Principem à D. Aquilino, & miniſtris Sacerdotibus Coloniæ, unà cum Virginum choro numeroſiſſimo ſepultam. Verùm non immeritò contradixêre huic de D. Urſula narrationi Scriptores & Lectores plurimi, probè gnari, ſeductos fors multos eſſe *Maximini* nomine, pro quo legendum eſſe docent nomen *Maximi* tyranni, adversùs Gratianum Imperatorem ſeculo IV. an. 83. in Anglia, Gallia, & tandem

dem etiam Italia ſævientis. Cæterùm annis 48. Colonienſe Pedum rexiſſe traditur.

V. LEWOLDUS.

TAmetſi Levvoldus in Colonienſium Serie haud inveniatur teſtibus his verbis :

Rurſus in exitium dum vertunt ſceptra tyranni,
Quintum Ubii nomen Præſulis interiit.

Ab aliis tamen, & quidem Heterodoxis Scriptoribus in præſenti Serie haud eſt omiſſus. Facinora verò oblivioni dederunt tempora iniquiſſima, quibus tringinta ſimul ex Romanis belli Ducibus contra Gallienum Imperatorem Romanum ambiêrunt ſceptrum, à ſuis quisque partibus proclamatus Imperator. Annis 42. ſediſſe creditur.

SECULUM IV.

VI. MATERNUS II.

IMperante Conſtantino M. atque in Galliis pugnante, inter illos numeratus eſt Maternus Patres, qui contra Donatiſtas arbitri dixêre ſententias. Idem quoque cum Diacono ſuo Martino, vel Macrino nomine interfuit Concilio Arelatenſi an. 314. in Gallia celebrato contra eosdem Donatiſtas. Sedit an. 35.

VII. EUPHRATES.

EUphrates adfuit Synodo Sardicæ in Illirico an. 345. celebratæ, ubi teſtibus multis documenta dedit multa innocentiſſimæ vitæ, præſertim verò caſtimoniæ. Utinam reliquiſſet etiam ſigna illuſtriora inſignis conſtantiæ : dum enim Aria-

Arianorum conſortia non vitavit, in hæreſin Arianam incidit, condemnatus propterea anno 348. in Synodo Colonienſi, D. Julii Pontificis loco ſententiam ſupremam dicente D. Maximino Archi-Epiſcopo Trevirenſi. Annis 33. ſediſſe ad annum 348. fertur. *Vide Browerum & Ægidium Gelenium Hiſtoricum Coloniens.*

VIII. D. SEVERINUS.

D. Severinus Burdegalæ in Aquitania natus, eodem in Concilio Colonienſi Euphratis loco electus Epiſcopus Arianis tantò conſtantiùs obſtitit, quantò remiſſiùs Euphrates. Inter vivos ſtrenuè rem agente Severino, beatiſſimis conceſſit fatis Turonenſium Præſul D. Martinus, cujus animam meritis ditiſſimam à cœleſtibus geniis ſupra ſydera elevari vidit, dum in campo ſuburbano, quem Martini campum vulgò appellant, ad cœlos levavit oculos. Id etiam notavit antiquitas, & meminit non minùs vulgus hodie, hominem ſolitudini & multis virtutibus aſſuetum, atque idcirco angeli tutelaris conſpectu crebrò ad conſtantiam animatum, id ſcire deſiderâſſe ardentiùs, num majorem virtute virum vicinus orbis haberet, ut hunc liceret æmulari ſanctè & imitari. Adeſſe in vicinia Severinum reponente cœleſti genio, mox cucurrit æmulus eremicola, conſpecturus cominus, qualem ſe gereret vir major virtute Severinus. At dum corpus reficientem offendit, & ab epulis longè diverſa exſpectavit, juſſus eſt legere, atque intelligere verba magni Doctoris gentium Pauli Rom. c. 14. *qui non manducat, manducantem non judicet; DEUS enim illum aſſumpſit.* Epiſcopus fuit an. 60. mort. an. 408.

SECULUM V.

IX. D. EVERGISLUS.

NAtione Tungrenſis D. Evergislus, inter S. Severini diſcipulos adeò profecit, ut qualem Succeſſorem in Colonienſi

niensi Sede habitura foret post Severinum, hic ipse vates jam prædixerit Coloniæ suæ. Annis discipulum multis superavit Magister, an verò & meritis incertum; Animarum namque zelo certâsse visus est cum Severino Evergislus; at dum patriam Apostolico accensus ardore revisit, haud acceptus in patria Prophetes, Martyr fundere jussus est sanguinem: unde dysticon:

Quos patrios Tunger viridi vitaverat ævo,
Post senior fuso sanguine lavit agros.

Sedit annis 15. aut opinantibus aliis 32.

X. SOLANUS.

ALiis Solinus aut etiam Aquilinus dictus, nonnullorum Scriptorum testimonio ille fuit Coloniæ Episcopus, qui D. Ursulæ & Sodalium Virginum exuvias honorificis recondidit sepulchris: argumento esse dicunt, quòd priori ætate Hunnorum nullæ copiæ in Germaniam advenerint, à quibus hunc Virginum copiosissimum cœtum trucidatum esse ipsis affirmantibus constaret. Verùm his inter dubia relictis, Solanus is erat Præsul Coloniæ, qui aspexit urbem suam à Francis sub Childerico I. Rege expugnari: unde materiem Historiæ abstulit hoc quoque tempore bellum: testimonii loco sint versus:

Mutari vidit Regimen Solinus & urbem,
A Francis subigi flevit Agrippa tuam.

Annos Sedis numeravit 33.

XI. SIMONEUS.

SImoneus tempore Clodovæi Regis inter Reges Francorum primi Christiano nomine insigniti per annos 47. Coloniam conservavit: hujus verò laudes sicuti & aliorum Episcoporum encomia ferè omnia sepelivit interregnum in Occidentis Imperio per annos trecentos perpetuùm.

SE-

SECULUM VI.

XII. CARENTINUS.

CArentinus ſedit per annos 20. regnantibus in Francia Sigeberto & hujus filio Childeberto, quorum favoribus tutus Coloniam partim novis, partim inſtauratis exornavit templis: unde cecinit Poeta;

Templa Carentinus qui plurima ſtruxit in urbe,
Ingenti geſſit Religione Pedum.

XIII. D. EBREGISILUS.

D. Ebregiſilus per annos pariter 20. floruit Colonienſium Epiſcopus Guntramo Francorum, & Childeberto juniori Auſtraſiæ Regi acceptiſſimus. Pars corporis ſepulti, ſed inter Reliquias ſacras meritò numerati, Tuitium translata quieſcit miraculis clariſſima. Sedit an. 20. mortuus an. 600.

SECULUM VII.

XIV. REMEDIUS.

ETiam Remedius annis 20. Colonienſium Epiſcopus docuit illa ætate, qua Theodobertus Auſtraſiæ Rex pulſus, Colonia capta, & oves unà cum paſtore ſuo ſunt diſperſæ, atque ad macellum raptæ: laudes proinde Remedio ſcripſit Poeta hoc compendio:

Remedius medicâ ſanavit vulnera dextrâ,
Et pepulit morbos à grege ſæpe ſuo.

XV. S. CUNIBERTUS.

S. Cunibertus Dagoberto II. Auſtraſiæ Regi moderator à regio genitore Sigeberto datus, munus ſuum ea morum in-

integritate gessit, ut aulam Regis in DEI Domum conversam dixerint æqui rerum æstimatores. Consilia is sua cum viris virtute & munere sibi paribus communicans, Ecclesiæ & regnis mirè profuit, doctus miscere eum in modum sacra profanis, ut dum alieno etiam curas intendebat, suo tamen nunquam defuerit officio: unde Stephanus Abbas Divorum eo tempore Episcoporum mores dilaudans hæc scripsit: *quale, quàm sanctum erat illud palatium, ex quo tam Sanctos, támque illustres suscipiebat Ecclesia Sacerdotes? ex quo procedebant sectatores non Simonis, sed Petri; non mercenarii, sed veri ministri Christi; & qui curias Regum non quærerent, sed potiùs à Regibus quærerentur ipsi, quique non honores per ambitionem appeterent, sed magis ab oblatis, per humilitatem refugerent. Ex quorum numero; erant enim plurimi, fuit Arnulphus Metensis, Cunibertus Coloniensis, Tungrensis Remacles, Trevirensis noster Modoaldus, istis & omnibus aliis omni virtutum genere conferendus. Vide plura in Browero pag. 343.*

Cæterùm inter elogia D. Cuniberti numerârunt etiam, quod Reliquias Divæ Ursulæ & Sociarum Virginum loco honoratiori posuerit: unde cecinit Poeta:

Detexit cineres Ursula Diva tuos.

Annis 40. illustravit Sedem Coloniensem, mortuus an. *660.*

XVI. BOCALDUS.

BOcaldus D. Cuniberti Successor annorum 20. Episcopus, vel laudari multis non est promeritus, vel veriùs laudes posteris transscribere neglexerunt Germani majores nostri, gladio, quàm calamo nobiliores, quod queruntur hodie multorum nobilissimi cineres, & plurimorum in Germania Præsulum, inter quos veniunt

XVII. STEPHANUS. Sed. 10.

XVIII. ADELVINUS. Sed. 4.

XIX. GUISO.

GUiso Archipræsul is fuit, cujus vigilantiæ id deberi testantur Veterum annales, quòd Romanis aris amplior patue-

patuerit locus per Frisiam & Westphaliam, unde cecinit Laudator Guisonis:

> Erectas noviter Christi Guiso aspicit aras
> In Frisio pariter Westphalicòque solo.

Sedit an. 14. mortuus an. 708.

SECULUM VIII.

XX. ANNO I.

ANno I. Episcoporum duorum virtutum decore clarissimorum socius nondum Episcopus, cum utroque multa agere, & pati multa didicit, præsertim verò ea tempestate, qui D. Lambertus Trajecti Episcopus Pipini Heristalli adulteria perstrinxit virgulâ censoriâ, ob id ipsum à Dodone adulterantis fœminæ fratre occisus. Alter fuit D. Ludwinus Trevirensium Archi-Episcopus virtutibus & miraculis celeberrimus. D. Suibertum ex Anglia venientem excepisse scribitur Anno etiam; verùm repugnare videtur temporis ratio; aut annis centum & pluribus vixisse D. Suibertum oportet, quem sub Seculi VIII. finem, & sub Seculi IX. initium Verdensium Episcopum primum fuisse novimus an. 809. mortuum. Annonem verò mortuis annumeratum jam fuisse an. 709. testantur Annales Coloniæ. Vitio Annoni verterunt multi, quòd D. Lamberti exemplum minùs strenuè sit secutus in castigandis Procerum vitiis publicis.

XXI. PHARAMUNDUS.

PHaramundus post Annonem unius anni duntaxat Episcopum Coloniensi Ecclesiæ annis duobus præfuit. Longiori fortassis tempore Trajectensem tulit Infulam, postquam D. Lambertus in exilium pulsus, contra vitium pro virtute perorare non destitit: in hujus enim viduam Sedem intrusum fuisse memorant Leodii Scriptores.

SERIES ARCHIEPISCOPORUM COLONIÆ.

PERIODUS II.

XXII. D. AGILOLPHUS. I. ARCH.

OPerante plurimùm, ùt fides eſt, Dagoberto III. Francorum Rege, D. Agilolphus Archiepiſcoporum Coloniæ omnium primus, à D. Gregorio II. Pontifice eſt exornatus Pallio, ſimùlque Archiepiſcopali ejusdem poteſtati fuerunt ſubjecti Epiſcopi quatuor, aut plures nimirum Leodienſis, Ultrajectenſis, Monaſterienſis, & Oſnabrugenſis, ac demum etiam Mindenſis. Verùm his dictis opponunt Scriptorum nonnulli, D. Agilolphum an. Sedis 7. Chriſti 717. à vitioſiſſimis hominibus occiſum, Archiepiſcopatum verò Coloniæ annis ferè 30. ſeriùs inchoatum fuiſſe; unde Agilolphum alterum in Serie adjiciendum dicunt, vel longè citiùs ſub Agilolpho noſtro inſtitutum jam eſſe evincunt, vel certè ſub Agilolpho initium non accepiſſe, dictat ratio & neceſſitas.

XXIII. RAGINFREDUS. II. ARCH.

REginfredus ab aliis nuncupatus, Carolo Martello in Francia Regio munere ſtrenuè fungenti, ſeſe peracceptum reddidit per annos omnino 30. ſi manuſcriptis huc miſſis ſit inſiſtendum. Dolendum ſanè, quòd de Archipræſulibus hoc præſertim ſeculo non niſi communi pluribus laude celebratis relicta non fuerint elogia ſingularia; nam Virorum Principum vel inſignes virtutes, vel etiam vitia nôſſe, plùs placet crebrò Lectoribus

bus, quàm ignorâsse omnia. Anno hujus Seculi 50. die obiisse suum traditur Reginfredus.

XXIV. D. HILDEGARUS. III. ARCH.

HIldebertus ab aliis nominatus, multorum Sacerdotum antesignanus, anno Sedis suæ 7. vix finito jam cecidit, occisus à Saxonum turba idololatriæ innutrita. Anno nimirum Salutis 757. Franci Duce Pipino Rege, vel certè Regis loco regnante, in Saxones durissimos moverunt sequentibus Ducem commilitonibus multis.

XXV. BERTHOLINUS. IV. ARCH.

BErtholinus Annorum 15. Archiepiscopus templis omnino diversis vetustate deformatis decorem restituit, & novissimè extructis addidit: Divi insuper Agilolphi ossa honoravit, & conversione multorum idololatrarum Christianos cœtus insigni augmento exornavit, Pipino genitori, & Carolo filio Francorum Regibus ex asse Catholicis perquam pretiosus. Anno 772. obiisse scribunt.

XXVI. RICHOLPHUS. V. ARCH.

RIcholphus, quem multi Richolphum, pauci Reinoldum dixerunt nomine, Archipræsulem sanè laudibus dignissimum, qui nempe Colonienses inter per annos 10. eâ gregem Domini custodivit cura ac vigilantia, ut ejusdem gesta laudârint omnes maximè à singulari in pauperes munificentia; mortem verò à singulari patientia: occisus enim clam à sicariis sacrilegis in cœlos evolavit, dum cadaver pretiosissimæ animæ domicilium in aquas profundas demersum, in ipsas Divorum Aras elevari est promeritum.

XXVII. HILDEBOLDUS. VI. ARCH.

D. Hildeboldus Annis 36. Coloniæ Antistes Supremus præfuit, ab anno nimirum 782. usque ad annum 818. quo

ſat longo tempore Hadriano I. & D. Leoni III. Pontificibus Maximis, nec non Carolo M. meritis ſuis ſingularibus ſeſe reddidit pretioſum; unde à Carolo conſiliis crebrò eſt adhibitus Regiis, & demum etiam Imperatoriis; à Pontificibus verò Sedis Apoſtolicæ Apocriſarius eſt conſtitutus, ac temporum ſucceſſu in Divorum Album relatus. Merita hujus Archipræſulis hac ſynopſi complectuntur Colonienſes:

Hildboldus Magno Carolo gratiſſimus hoſpes,
Virtutum titulis magnus & ipſe fuit.

SECULUM IX.

XXVIII. HADEBALDUS. VII. ARCH.

PRæclarum ſibimet nomen comparavit Hadebaldus gemino in Concilio, altero Aquiſgrani, altero Moguntiæ habito, in quibus Danorum aliorúmque Septentrioni propinquorum populorum converſiò promota eſt plurimùm; quem in finem Hadebaldus D. Anſgario de neceſſariis providit & navim inſtruxit. Annis 28. Sedit an. 846. mortuus, poſt cujus fata ob Normannorum in Germaniam & Franciam irruptiones, atque etiam ob hæredem Carolo Magno ſuccedentium pugnas & lites per annos 5. Sedes Coloniæ ſacra relicta eſt vidua.

XXIX. GUNTHARIUS. VIII. ARCH.

GUntharii per annos 12. Coloniæ Archipræſulis ſoror fuit Waldrada, quam, repudiata Theuthberga conjuge legitima, cùm in thalamo ſibi jungeret Lotharius junior Rex Auſtraſiæ, & factum ſuo etiam calculo firmaret Guntharius, eam ob rem authore D. Nicolao Pontifice Metîs celebrata Synodus Guntharium, & mox etiam Theidgaudum Trevirorum Antiſtitem cum aſſeclis anathemate confixit. Inter bruta fulmina nume-

numerandum censuit hoc Ecclesiæ Romanæ fulmen Guntharius; verùm dum contempto periculo ad aram facere paravit, vi occulta spoliatus est veste Sacerdotum propria attonitus cunctis, qui rerum arbitri adstabant. Annis 7. inter vivos superstes luxit suam & Regis Lotharii causam mœstissimam.

XXX. WILIBERTUS. IX. ARCH.

WIlibertus anno 863. Archipræsul electus, at primùm an. 870. consecratus, ita præfuit Ecclesiæ, ut per id tempus perpetuos passus sit adversarios Guntharium & hujus asseclas. Annos 20. alios ea moderatione animi transegit, ut multùm Clericis & Proceribus indulserit, unde versus:

Wilbertus populi votis Procerúmque favendo
Indulsit mystis libera jura suis.

SECULUM X.

XXXI. HERMANNUS. X. ARCH.

HErmannus annis 35. Coloniensibus tanta virtutum commendatione præluxit, ut eidem meritò *Pii Cognomen* inditum, hoc maximè modo posteritati commendandum esse duxerint:

Septem lustra Ubiis Hermannus munia sacra
Exhibuit, dictus nomine jure Pius.

Pium Augusto suo suffragio dixit etiam Arnulphus Imperator, qui Hermanni sæpe operam & consilium requisivit.

XXXII. WICHFRIDUS. XI. ARCH.

TAmetsi Wichfridus annos 28. imperantibus Henrico Aucupe & Ottone M. Coloniensem Ecclesiam rexerit, nihil tamen de eodem meminêre Colonienses armorum, quàm librorum amantiores.

XXXIII.

XXXIII. BRUNO I. XII. ARCH.

BRuno Henrici Aucupis filius, Ottonis M. frater, Pedo & gladio gloriosus, mirè profuit Ecclesiæ & Imperio; Imperatoris enim nunc in Italiam, nunc in Hungariam cum exercitu profecti in se suscepit munus & implevit strenuè, præsertim cùm rebelles Lotharingios compescuit. Agnovit fratris beneficium Imperator gratissimus: ditiones enim Coloniensis Ecclesiæ bonis & privilegiis multùm adauxit; quibus etiam majus incrementum Bruno adjecit, dum in Burgundiam abiît, sed & inde Rhemos divertit, ibidem calida febri extinctus, postquam Coloniensem Ecclesiam omnium bonorum hæredem scripsit an. *965*. Sedit an. 12. Conditor is fuit templi Panthaleonis, in quo sunt reconditæ Brunonis exuviæ, quas Rhemis Coloniam translatas multis lacrymis prosecuti sunt inter indigenas Normanni advenæ à Brunone magno numero baptizati. *Vid. Albertum Kranzium de Saxonia.*

XXXIV. VOLMARUS. XIII. ARCH.

VOlmarus de Ecclesia Coloniensi optimè meritus, serò tamen in supremam ejus Sedem ascendit, quòd obstarent Brunonis Antecessoris non minùs insignia merita, summa ad hæc natalium nobilitas, & inter Viros etiam Principes authoritas. His moti argumentis Lotharingi, Brunoni subdiderunt & colla & capita; at non ita Volmaro, quam inter brevissimæ vitæ causas numerârunt illi, qui post annos Sedis 4. Volmarum sepeliêrunt an. *969*.

XXXV. D. GERO. XIV. ARCH.

D. Gero ex Lusatia Marchio à Coloniensibus electus Antistes, tantùm primò displicuit Ottoni II. Cæsari, ut hic eidem deneganda duxerit insignia Viris Principibus

bus in Jmperio concedi ſolita. Verùm Geronis partes æquiſſimas in ſe ſuſcepiſſe viſus eſt Genius tutelaris, cùm Cæſarem dormientem ſui muneris commonefecit, ut læſo Geroni ſatisfaceret. In extaſin non rarò abripi, & exanimi ſimilem decumbere, cùm ſciret perbene Warinus Coloniæ inter Diaconos Supremus, id commodum ſuum ratus, vivum ocyùs ſepulchro intuliſſe ſcribitur Geronem, cùm annis 7. ſediſſet an. 976. maturè nimis ſepultus. Cæterùm ante alios D. Geronem colunt clauſtra Gladbachenſia, quorum author extitit.

XXXVI. WARINUS. XV. ARCH.

WArinus votis ſuis parùm religioſis damnatus, atque in Solium Colonienſe plurium electorum Canonicorum calculis promotus, optata tamen pace nequaquam frui potuit; conſcientiæ enim ſtimulis potenter adèo fuit agitatus, ut Romam uſque profectus, ſcelus ſuum palàm fecerit Benedicto VII. Romano Pontifici, à quo pœnitentiæ causâ juſſus eſt D. Martini monaſterium Coloniæ vel inſtaurare, vel funditus condere; teſte igitur eodem monaſterio animi labes ædificiis ſacris eluit, & 8. annorum compendio deſideratam adeò Sedem Coloniæ poſſedit an. 984. mortuus.

XXXVII. EVERGERUS. XVI. ARCH.

EVergerus ob ſingularem modeſtiam, animi moderationem & ſolitudinis amorem laudatus multùm, Archipræſulum illorum fuit omnium ultimus, qui Electores non fuerunt in Jmperio: periodum proinde hanc claudat, qui vitam clauſit an. 997.

SERIES
ARCHIEPISCOPORUM SIMULQUE ELECTORUM COLONIÆ.

PERIODUS III.

SECULUM XI.

XXXVIII. D. HERIBERTUS. XVII. ARCH. I. ELECTOR.

INter Jmperii Septem-Viros à Gregorio V. Pontifice, & Ottone III. Jmperatore providè conſtitutos venit meritò D. Heribertus, natus Rottenburgi ad Tubarum in Franconia Comes, Henrici Epiſcopi Herbipolenſis frater Germanus. Dum in Archipræſulem Coloniæ eſt electus à Canonicis, Beneventi agebat in Italia in rebus cunctis præſtò adfuturus Ottoni Cæſari, qui nuntiis ex Germania allatis rei certior factus, abſenti tum Heriberto hanc brevem miſiſſe fertur epiſtolam Auguſta manu exaratam. *Otto Imperator Auguſtus ſola Dei gratiâ, Heriberto Archilogotheta gratiam ſuam & Coloniam & Pallii cubitum unum vale.* Romam Benevento profectus, & Pallio exornatus Heribertus rediit Coloniam, primò parùm gratus D. Henrico Ottonis III. Succeſſori, eò quòd Heribertus diſſidentibus ab Henrico partibus favere noſceretur, & relicta ab Ottone Jmperii inſignia æquo tardiùs Henrico tradidiſſet. Acceſsêre non modici momenti argumenta alia, quibus perſuaſus Jmperator, & veluti exiſtimabat, jure iratus, aut Electorem caſtigare, aut penitus Sede pellere meditabatur, quod ipſum ſuadebant inimici multi. *At ſecundum quietem videre ſibi præſentem viſus Antiſtitem oris & veſtis majeſtate Auguſtum affarique: cave Imperator in hunc conſervum meum Heri-*

Heribertum gravius quicquam aut ſtatuas aut deſignes; nec ipſius unicè Deo carum caput eſſe acceptúmque neſcias; quare ſi quicquam erga eum fueris commeritus, quod nolles, ejus haud dubiè erit ſevera tibi quandoque reddenda ratio. Hactenus Brovverus, & ferè ſimilia habet *Kranzius* in ſua Saxonia pag. 97. hiſce verbis claudens de Cæſaris & Archipræſulis cauſa narrationem: *Inde Imperator Henricus natalem diem Coloniæ celebrans, Heribertum Archiepiſcopum, olim à ſe malè habitum, ſatisfactione placavit. Cui reconciliatus Archiepiſcopus prædixit, ſe propediem moriturum, quod & factum eſt, claruitque mortuus miraculis.* Inter miracula D. Heriberti verò, quod mirandum maximè, numerant Scriptores etiam Heterodoxi. 1. Energumenum dæmonio liberavit. 2. Aquam, qua manus lavit, in medicinam ſaluberrimam convertit. 3. Vino, cui digitum intinxit ſuum, cæcutienti fœminæ beneficium lucis reſtituit. 4. Potenti oratione ſua cœleſte lumen ſibimet impetravit. 5. Henrico II. Cæſari, & ſibi diem mortis prædixit vates. 6. Choreis contra interdictum Eccleſiæ tentatis & continuatis, & inde hominum ſaltu continuo divinitus punitorum miſeriis, in pago Kolbeck precibus ſuis optatum finem impoſuit. Fine quievit ipſe beatiſſimo an. 1022. biennio ante D. Henricum. Sedit an. 24.

XXXIX. PILIGRIMUS. XVIII. ARCH. II. ELECTOR.

Piligrimus ex pauperibus natus parentibus, dum Grammaticæ elementis navavit operam, cantando juxtà ac mendicando victum quærere more multorum cogebatur adoleſcens. Hildeshemii ea ætate ſedebat Epiſcopus D. Bernvvaldus, cujus aures ſuavi melodia ſtans ante fores Piligrimus cùm mulceret, continuò Epiſcopus illuſtratus vaticinio, ſuis dixit domeſticis: *adducite mihi Archiepiſcopum Colonienſem.* Præter mendicabulum nemo præ foribus eſt, reponebant domeſtici: tum verò Bernvvaldus: *atqui hoc ipſum mendicabulum erit Archiepiſcopus Colonienſis.* Adhibitus dein menſæ Principis, & bene paſtus vaticinanti Bernvvaldo promiſit, ſe grates denuo habiturum ad aram, cùm pri-

mò litaturus Deo eſſet Sacerdos. Ita dimiſſus crevit virtute & ſapientia: ob vultus tamen deformitatem nobilitati haud acceptus, in pago conſtitutus eſt Parochus, quem venationi intentus D. Henricus Jmperator cùm obvium ſibi haberet, & ut Miſſæ Sacrificium ſe præſente offerret, potiùs rogaret, quàm imperaret, mox ignoto Cæſari morem geſſit. Inter celebrandum mirabatur Henricus, quòd homo tam deformis in Sacerdotum electam ſortem fuiſſet cooptatus: at tunc ſubitò audiri cœperunt verba: *ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Monente Piligrimo, aut veriùs Deo, hæc ipſa altiori ſonitu verba ſunt repetita. Unde perſuaſus Cæſar tanquam audito de Piligrimi probitate oraculo, eundem pluris cœpit æſtimare adeo, ut Piligrimum Electorali Sede judicârit digniſſimum. Coloniæ igitur anno 1022. cùm primò celebraret Sacrum, dati Bernvvaldo Hildeſienſi Epiſcopo promiſſi probè memor, preces pro vivis dici ſolitas dicere paravit: at divinitus ibidem revelata Bernvvaldi morte eundem mox inter mortuos numeravit populo mirante & vaticinium clamante. Annis 14. illuſtravit Colonienſem Eccleſiam an. 1036. D. Bernvvaldi mortui veſtigia ſecutus.

XL. HERMANNUS. II. XIX. ARCH. III. ELECTOR.

HErmannus II. Ehrenfridi ſeu Ezilonis inter Palatinos Comites Electoris filius, Henrici de Lacu itidem Electoris frater aut patruelis, geminum à virtutibus mutuum ſumpſit, aut proprium fecit cognomentum, pariter *Pius* & *Nobilis* per Antonomaſiam paſſim appellatus. Dum primas virtuti tribuit, Pontificem & Cæſarem atque bonos omnes ſibi faventes habuit; à D. Leone IX. enim poſt Concilium Moguntinum impetrâſſe fertur privilegium, quo Purpura Romana Hermanno & futuris Succeſſoribus concederetur deinceps ſingulis ac univerſis. In eodem Concilio, & aliàs Henricum III. Jmperato-

ratorem venerari licuit Coloniæ nunquam adversum. De Hermanni virtutibus testimonium dixit inter alia etiam lampas pretiosa, quam in sacello quopiam D. Magdalenæ honoribus dicato, luce perpetua jussit illustrari: illustravit verò Hermannus Germanam præcipuè Ecclesiam annis 19. an. 1055. tumulo illatus.

XLI. D. ANNO. XX. ARCH. IV. ELECTOR.

ANno è Suevorum Comitum de Sonnenberg stemmate natus, frater Werneri Archi-Episcopi Magdeburgici, artibus, scientiis & virtutibus ritè instructus, atque inter Canonicos adscriptus, Bambergensium Gymnasio Præses est postulatus: inde verò ab Henrico III. Cæsare Consiliis adhibitus, & Legatus Coloniam missus, tanti ab Hermanno II. Archipræsule, & Canonicorum Collegio fuit æstimatus, ut eundem præ competitoribus aliis in Caput suum delegerint. Mox etiam publica Imperii authoritate Henrico IV. Romanorum Regi admodum adolescenti datus, Adelbertum Bremensem Episcopum eo in munere expertus est adversarium, Henrici seductorem vaferrimum; unde Augustus discipulus adversùs Magistrum tantam concepit iram, ut nisi Agnes Augusta mater vim elusisset, Elector Coloniæ in tantilli Cæsaris insidias incidisset, aut aperto vulnere concidisset. Idem justitiæ assertor fuit non nunquam rigidissimus; argumento nobis sit exemplum ex pluribus unum. Cùm mulier multis obnoxia litibus iniquos judices coram Archipræsule insimulâsset, & causam argumentis firmâsset, latâ ab Annone sententiâ, Viris septem eruti sunt oculi; septimo tamen, fortassis omnium minùs reo relictus est oculus, ut cæcorum deinceps dux foret. Hujus ipsius Archi - Episcopi Coloniæ servari in monasterio Sigenbergensi ajunt Pedum, cui inscripta hæc sit legere verba:

Tityre coge pecus, cœcos ne ducito cœcus.

Dux oculatissimus verò inter Colonienses fuit an. 20. vaticiniis & miraculis clarus, quem multis prosecuti sunt laudibus *Albertus Kranzius, Brovverus & Scriptores etiam Acatholici.* Mortuum dicunt an. 1075.

XLII. HILDOLPHUS. XXI. ARCH. V. ELECTOR.

HIldolphus annorum 4. Archipræsul ex humili loco in Cæsaris Henrici IV. aulam translatus, partim ad aras ritè faciendo, partim meritis suis aliis præclaris adeò sibi devinxit D. Annonis, aut veriùs divini Numinis favores, ut cùm librum suo & proximorum bono peraccommodum rogâsset D. Archipræsulem, hic continuò responderit: habebis brevì & librum, & Sedem Annonis: unde cecinit Poeta:

Ex humili scandit sacræ ad fastigia Sedis
Hildolphus, quod ei dixerat Anno priùs.

XLIII. SIGEWINUS XXII. ARCH. VI. ELECTOR.

SIgevvinus 10. annorum Antistes, in Eifflia natus, D. Annoni ob insignia merita non minùs carus & acceptus, quàm Hildolphus habebatur: testimonii loco esse poterat, quòd pari vaticinio prædixerit Anno vates Segevvino Coloniensem Infulam: monumenti instar sit versus:

Eifflia Sigvvinum genuit, prædixerat Anno
Mitram.

XLIV. HERMANNUS XXIII. ARCH. VII. ELECTOR.

HErmannus 10. annorum Archipræsul, natus Comes de Notheim, aut veriùs Henrici cognomento Pinguis ad Visurgim Ducis filius, Richenzæ Lotharii II. Augustæ conjugis frater, D. Severini sacras Reliquias honoratiori loco posuit

ſuit & exornavit; inſignem etiam promeritus eſt laudem moderatâ parſimoniâ, & redituum Eccleſiaſticorum curâ ſedulâ, quod indicant nobis verba:

Oſſa Severini gemmis ornavit & auro
Nobilis Hermannus ſanguine, dives opum.

XLV. FRIDERICUS I. XXIV. ARCH. VIII. ELECTOR.

FRidericus Comes Forojulienſis, aut teſtibus Scriptorum Colonienſium calamis è Suevorum Comitum ſtirpe prognatus, cum D. Norberto Parthenopolis Archiepiſcopo egit cominus & eminus, ut quaqua verſus prodeſſent Eccleſiæ. Apoſtolicum Friderici Zelum unà cum aliis multis dilaudavit Monaſterium in Inſula Rhenana, Rolandi dictâ, & alterum in monte S. Apollinaris munificentiſsimè extructum. Sedit annis 32. mortuus an. 1131.

SECULUM XII.

XLVI. BRUNO II. XXV. ARCH. IX. ELECTOR.

BRuno Comes de Altena in Weſtphalia natus, tribus in Eccleſiis floruit Coloniæ & Confluentiæ. Merita ejus tanta fuerunt, ut licèt epilepſiæ morbo laboraret, & Godefredus Sanctenſis Præpoſitus æmulorum potentiſsimus multis placeret, nihilominus Brunonem eligendum Archipræſulem cenſerent Canonicorum plures, & ſuaderet Imperator Lotharius II. Nemini nempe Elector hic diſplicuit magìs, quàm ipſe ſibi: quare non niſi multorum precibus, & D. Bernardi conſiliis perſuaſus, Coloniæ Solium conſcendit, poſtquam jam Trevirenſium Inſulam neutiquam admiſit, Innocentio II. Pontifice

Bru-

Brunonis constantiam probante. Annos 6. Elector numeravit; à Lothario enim Imperatore in Italiam ductus an. 1137. in Apulia est extinctus, & Barii in templo D. Nicolai sepultus, cujus ossa elapso dein biennio Rogerius tyrannus Siculus exhumari, & per urbis compita spargi mandavit.

XLVII. HUGO. XXVI. ARCH. X. ELECTOR.

HUgo Sponhemiensis Comes, Decanus Agrippæ Coloniæ, mortuo Brunoni Successor datus in Italia, ibidem consecratione & Pallio à Pontifice impetratis Melphiæ seu Barii elapso quatriduo post sectionem venæ est mortuus, paucorum omnino mensium Archiepiscopus.

XLVIII. ARNOLDUS I. XXVII. ARCH. XI. ELECTOR.

ARnoldus Geldriæ Comes de Simoniæ crimine ad Eugenium III. Pont. ab invidentibus delatus, & Romam usque ad dicendam Causam vocatus, alacri comparuit animo, comite conscientiâ bonâ tutissimus, qualem sanè invenit judex in terris Supremus ringentibus inimicis. D. Bernardi consiliis, quin & familiaritate usus Arnoldus, didicit periculosis temporibus cedere & occurrere, vitia nimirum eradicando, & virtutes plantando per annos Sedis 14.

XLIX. ARNOLDUS II. XXVIII. ARCH. XII. ELECTOR.

ARnoldus II. Comes de Wied per varios in Collegio Canonicorum Coloniensium gradus ad supremum denique ascendit annorum 5. Elector, qui sui ævi luxit mœsta tempora, & D. Bernardi mortem plurimis luctuosissimam. Gesta Arnoldi hujus probavit maximè Conradus III. Imperator

râtor, cui ab arcanis Consiliis erat. Reindorffensem extruxit ædem, & S. Severini templo profuit.

L. FRIDERICUS II. XXIX. ARCH. XIII. ELECTOR.

FRidericus II. Comes Altenanus & montium dictus, Gerardo æmulo denique ab electoribus Canonicis est præhabitus, eò quòd Hadrianus IV. Pontifex, & Fridericus I. Imperator præhabendum censerent. Idem Elector probè electus Hadriano Pontifici auxilio fuit ad sedandas lites Pontificem inter & Cæsarem obortas. Papiæ post annum Sedis 3. sepeliêrunt mortuum; unde eidem anno 1159. in Germania parentavit Fridericus Imperator I.

LI. REINOLDUS. XXX. ARCH. XIV. ELECTOR.

REinoldus de Dasselen Comes Luneburgicus Friderico Imperatori, quàm Pontifici acceptior, hunc in modum est laudatus ab Augusto laudatore: *Charissimum Principem nostrum Reinoldum Ecclesiæ Coloniensis Venerabilem Archiepiscopum universis Imperii fidelibus in exemplum proponimus, cujus fidem synceram, cujus constantiam invictam, cujus labores immensos, cujus opera & servitia magnifica in omni necessitate Imperii, & nostra sæpenumero perspeximus &c.* Erat nimirum Reinoldus Cæsari à consiliis perpetuis, & comes à latere, præsertim proficiscenti in Italiam, ex qua an. 1162. everso Mediolano DD. trium Magorum & Machabæorum Martyrum Reliquias Coloniam direxit. An. 1167. ultimùm in Italiam profectus pestilentiæ morbo interiît 8. annorum Elector.

LII. PHILIPPUS I. XXXI. ARCH. XV. ELECTOR.

PHilippus Comes Heinsbergensis, dum Fridericus I. Imperator Henricum Leonem Saxoniæ Electorem proscripsit,

probè observatis', teste Kranzio, Juris Publici regulis, Westphaliæ Ducatum & Angriæ hodie Comitatum impetravit. Eadem ferme ætate mœnibus Coloniam firmavit simul & exornavit, monumento sui relicto Coloniensibus perpetuo. Henrico VI. Imperatori in Italiam abeunti junctus comes Neapoli commune multorum Germanorum sepulchrum invenit an. Sedis 24. Christi 1191. Synopsis rerum à Philippo gestarum hoc metro canitur.

Ortu Heinsbergiacus magnus virtute Philippus,
Mœnia & Angariam Westphaliamque dedit.

LIII. BRVNO III. XXXII. ARCH. XVI. ELECTOR.

BRuno Comes Altenanus litis sibi motæ, honorum & onerum publicorum haud immeritò pertæsus, abdicavit se Pontificatu Coloniensi post regiminis annum 2. Vitæ partem reliquam Superis consecraturus examussim, solitudinem Altenburgensem petiit an. 1193.

LIV. ADOLPHVS I. XXXIII. ARCH. XVII. ELECTOR.

ADolphus Brunonis III. frater vel patruus, inter authores, aut certè adjutores numeratus est potentissimos, cur Otto Dux Brunsvicensis contra Philippum Suevorum Ducem fuerit in Solium Jmperii evectus. Perperum sese elegisse, aut electum Ottonem Jmperatorem pejùs imperâsse, ostendit mutata mens Electoris Adolphi; Aquisgrani namque an. 1204. coronavit Imperatorem Philippum: sed ob hoc ipsum præmaturum factum, utpote inconstantiæ indicium haud obscurum, & causas majoris momenti alias imperante Innocentio III. è Sede Coloniensi fuit amotus an. 1205. annorum 12. Elector. Monumenti loco rem totam indicat Lectori hoc breve melos:

Successor patrui cæcæ levitatis Adolphus,
Pulsus bis dicto Cæsare sede fuit.

SE-

SECULUM XIII.

LV. BRVNO IV. XXXIV. ARCH. XVIII. ELECTOR.

INter turbas Jmperii & Coloniæ publicas Bruno IV. natus Comes de Sayn, in Archipræſulem delectus, exordium dignitatis ſuæ nactus eſt difficillimum, & viam virtutis arduam: Philippus enim Jmperator Ottone æmulo propè Coloniam in pugna decretoria victo, Brunonem in arce Waſſerburgenſi captum duxit captivum. Proſperè evenit captivo, amicitiæ vinculo conjunctos tandem fuiſſe Pontificem Innocentium & Cæſarem Philippum; tum enimvero confirmatus in Sede Principis ſedit brevi tempore, 3. duntaxat annorum Præſul, ſorte meliori digniſſimus.

LVI. THEODORICVS I. XXXV. ARCH. XIX. ELECTOR.

THeodoricus Comes Heinsbergenſis ab Ottone Philippi, licèt jam viribus prævalentis Cæſaris, æmulo in ſacram Coloniæ Sedem intruſus, è cœtu fidelium ab Innocentio III. eſt ejectus, quòd nollet relinquere partes Ottonis ab univerſa propemodum Eccleſia relictas. Annos circiter 8. duravit ſchiſma pertinax Theodorici, tandem re & ſpe Sedis recuperandæ deſtitutus, dato ſibi auro quievit.

LVII. D. ENGELBERTVS. XXXVI. ARCH. XX. ELECTOR.

D. Engelbertus Montenſis Comes, ab Jmperatore Henrico VI. conſtitutus filio Friderico Moderator, à Coloniæ verò Canonicis Jmperii Elector deſignatus, utrumque munus tanta integritate obiit, ut inter æquos rerum arbitros inventus fuerit nemo facilè, qui plus ab eodem deſideraret.

ret. Brovverus nunc compendiô comprehendens, nunc fusiùs describens D. Engelberti dotes egregias pag. 118. paucis vocabulis dixit rem maximam, dum inquit: *addunt de Engelberto, columnam Ecclesiæ, Cleri decus, columen extitisse regni.* Tantum tamen ac tale columen Fridericus Comes Isenburgicus ob Essendiensis monasterii jura ab Electore hoc ritè defensa & custodita, 47. vulneribus è medio sustulit an. 1225. Sedis 9. Hanc à multis seculis vix auditam necem mox secuta omnium, præsertim in Germania inferiori Statuum admiratio, & indignatio justissima querelis Christianum orbem implevit, præsertim verò cùm volanti famæ accederent passim miracula multa legitimis testimoniis confirmata. *Lege Brovveri Annales Trevirens. & Gelenii Historiam de S. Engelberto editam.*

LVIII. HENRICUS I. XXXVII. ARCH. XXI. ELECTOR.

HEnricus Comes de Molenarck primas inter curas numeravit illam omnium maximam, qua vindictam de Comite Isenburgico, & scelerum consciis severissimam sumere constituit: quare sceleris tanti authoris bona fisco quamprimum sunt adjudicata: conjux ejusdem tametsi criminis minimè particeps, mœrore contabuit. Fridericus Comes conscientiæ stimulis instar Caini agitatus aliquantisper vagus & profugus, denique Leodii interceptus, & impensis haud modicis Coloniam traductus infamíque rotæ implexus, mirâ pœnitentiâ pœnas absolvit gravissimas. Audiamus Brovveri hac super re compendium, quod ita habet pag. 124. *Extra D. Severini portam Comes horrendo atque infami supplicio in rotam actus, dorsum interritus ad sedecim præbuit securis ictus; inde tortoris manum ad singula comminuenda frangendáque corporis membra ultrò exposcens, admirandæ fortitudinis ac constantiæ in perpetiendis suppliciis exemplo, omnibus Christiani hominis probè in morte perfunctus officiis, tam tetram in se receptam labem, magnitudine cruciatuum eluit, vel obscuravit.* Cæterum Henricus Elector vindicata D. Engelberti morte, opportuna occasione

ne utendum ratus, cum Coloniæ civibus ad lites pronissimis res magni momenti varias discussit atque composuit. Sedit ab an. 1225. usque ad an. 1237. turbatissimis in Imperio temporibus.

LIX. CONRADUS. XXXVIII. ARCH. XXII. ELECTOR.

CONradus Comes de Höchsteden per annos 24. difficultates tulit & ærumnas maximas; à Wilhelmo quippe Juliacensi Comite captus, novem mensibus in durissima captivitate delituit. Annos ætatis suæ ultimos potissimùm consecravit ingentis operis & pretii templo, Divorum Magorum honoribus consecrato. Suorum temporum Salomonem dixerunt multi Conradum: Salomonis tamen opera aut facinora posteritati legenda non ritè scripserunt, si ædem excelsam demas, de qua Poeta ita canit:

Conradus Summi struxit fastigia templi,
Atque Ubia Salomon alter in urbe fuit.

Morti succubuit an. 1261.

LX. ENGELBERTUS II. XXXIX. ARCH. XXIII. ELECTOR.

ENgelbertus Comes de Valckenburg circa annum 1260. Imperio Romano inter seditiones & cædes publicas lugente, luxit & ipse sortem suam tristissimam, cùm Coloniæ cives urbem patriam in libertatem plenissimam asserturi tentârunt extrema omnia, Bonnæ interea violenta remedia meditante Engelberto. Stratagemate & cuniculis Coloniæ expugnationem tentandam esse, unà cum Electore rati non pauci, sibi tumulum struxerunt, dum concubia nocte per occultos terræ meatus ingressi, sed simul à fœdifrago socio proditi, ad unum omnes sunt enecti, ipso Electoris fratre desiderato. Amicis igitur consiliis,

non verò armis cum civitate agendum ritè persuasus, pacem dedit & impetravit, cum Phrygibus doctus sapere. Annis 14. veriùs pugnavit, quàm quievit: excipe annum mortis 1275.

LXI. SIFFRIDUS. XL. ARCH. XXIV. ELECTOR.

SIffridus ex præclaro Westerburgorum stemmate ortus, instituit cruentis Engelberti II. vestigiis, aut longè superavit, gladio magìs, quàm consilio usus, ut vim vi frangeret. Quare haud veritus arma ipse induere, & in arenam descendere, at in eadem captus ab hoste Montensi Comite Adolpho, annis 7. libertatem frustra desideravit: tandem verò liberatus, mox totis viribus redintegrato bello eâ fortunâ certavit, ut Adolphum inter victos atque captivos ductum, talionis pœnam subire mandârit modo planè barbaro. De fine captivitatis desperandum erat ante omnia alia Adolpho; modum ut mitigaret victor, vix ausus est sperare, præsertim cùm ferreæ caveæ nudum Comitis corpus inclusum, & melle oblitum vespis & muscis patere jussit, exemplo inter hostes Christianos hactenus inaudito. Hujus Electoris etiam causâ interdicto Ecclesiæ subjecta Colonia multo languit tempore. Annis 24. non sedit, sed sæviît ad annum 1298. usque.

SECULVM XIV.

LXII. WICHBOLDUS. XLI. ARCH. XXV. ELECTOR.

WIchboldus ex illustrium Baronum de Holte natus sanguine, & Coloniæ legitimis in Archipræsulem electus calculis, omnem quamprimum movit lapidem, ut Metropolis sua interdicto soluta, ovis instar perditæ reduceretur ad postorem suum. Laudem hanc unam & maximam Wich-

Wichboldi reliquit Colonia posteris. Annis 7. fuit Elector an. 1306. terræ mandatus.

LXIII. HENRICUS II. XLII. ARCH. XXVI. ELECTOR.

SEpulto Wichboldo electores Canonici in tres partes abiêrunt; pars nimirum prima Wilhelmum Juliacensem, pars altera Reinaldum Westerburgicum, pars reliqua Henricum Virneburgicum, tres Comites in Præsulem suum delegerunt. Nodum Gordium jure dicere poterant litem hanc gravissimam, quam dum nequiit solvere consilio, gladio Henricus disrupit; post cæsum enim in pugna Frandensi Wilhelmum, Romam, aut veriùs Avenionem properavit, ubi à Clemente denique post peractam pœnitentiam, & exhibita habilitatis suæ argumenta est confirmatus. Eadem tempestate Imperii Electores de eligendo, & mox electo novo Cæsare inter sese certabant primò calculis, mox verò armis: pars enim Ludovicum Bavarum, pars altera Fridericum Austriacum à se electum propugnavit. A Friderico stetit Henricus, quam idcirco Bonnæ coronavit Imperatorem, ringente parte altera. Inter turbas itaque Imperii transfigenda fuit ætas Henrico ferè annis 26. quibus Coloniæ Sedem tenuit mortuus an. 1331.

LXIV. WALRAMUS II. XLIII. ARCH. XXVII. ELECTOR.

WAlramus Juliacensis Comes, fortissimos præ aliis sensit hostes Ludovicum Bavarum & Adolphum Marchiæ Comitem Leodiensem Episcopum. Contra hunc sententiam dixit Joannes XXII. Romanus Pontifex Walrami quondam Bononiæ condiscipulus. Contra Bavarum pro Walramo pugnavit Clemens VI. ad quem in Galliam ubi pervenit profugus Walramus, sepulchrum invenit, an. 1349. postquam Elector vixit an. 18.

LXV.

LXV. WILHELMUS. XLIV. ARCH. XXVIII. ELECTOR.

WIlhelmus ex illustri Baronum de Gennep prosapia oriundus, seditiosorum civium Coloniæ audaciam detestandam quoque expertus est, cùm Canonicorum duo levi de causa trucidati, justam bonorum omnium iram adversùs civitatem provocârunt. Annis 13. Coloniensi Ecclesiæ præfuit Wilhelmus, quibus proventuum curam adeò sedulam gessit, ut expuncto ære alieno magnam auri copiam corraserit. Dum avarum itaque dixerunt multi, liberalem experti sunt inter Divos Principes Apostoli, quorum duodecim effigies, seu statuas argenteas Coloniæ templo Principi donavit etiam hodie visendas. Vita longiori haud indignum mors inter mortales rara extinxit. Cum cercopitheco nimirum, quem aluit, dum fortè ludere, aut tempus fallere placuit, accepto in pede lethali vulnere interiit an. 1362.

LXVI. ADOLPHUS II. XLV. ARCH. XXIX. ELECTOR.

MEnsibus decem relicta est Sedes vidua, diffidentibus inter se partibus: aliis Joannem Comitem Virneburgicum, aliis verò, imò pluribus, Adolphum Comitem Altenanum eligentibus, quorum posterior, cùm oblatam sibi dignitatem desiderâsset minimè, prior verò ambiret maximè, eam ob rem Urbanus V. Pontifex latâ sententiâ repulso Joanne, Adolphum confirmavit. Verùm hic stirpis suæ in se unica fronde superstite exspiraturæ memor, & amplæ hæreditatis adeundæ spe allectus, relicta Sede sacra thorum elegit, ducta in conjugem Margaretha Comite Montensi: anno itaque unico Elector fuit.

LXVII. ENGELBERTUS III. XLVI. ARCH. XXX. ELECTOR.

ENgelbertus III. Comes Altenanus Adolphi patruus, à multo tempore jam Leodii Episcopus, Coloniensem Insulam non ambiît, longè minùs postulavit, postulatus nihilominus ipse ab electoribus Canonicis, & à Pontifice confirmatus annos 4. Elector senex numeravit, solitudinis, quàm publici honoris avidior.

LXVIII. CUNO. XLVII. ARCH. XXXI. ELECTOR.

CUno ex familia Falckensteiniana Comes Engelberto Coadjutor, ut vocant, datus, brevi temporis spatio multa præclarè egit; contracta enim debita expunxit; ditiones novas, atque inter has Comitatum Arensbergicum dato auro comparavit, nec non res priùs admodum turbatas composuit; tum verò curarum satur Pontificatu se abdicavit, non nisi 2. annorum Elector.

LXIX. FRIDERICUS III. XLVIII. ARCH. XXXII. ELECTOR.

FRidericus Comes de Saarvveden, invito Carolo IV. Imperatore Joannem Argentorati Episcopum nepotem suum offerente est confirmatus in Coloniæ Solio. Profuit nimirum Friderico plurimùm, notum esse Romano Pontifici Gregorio XI. quocum literis quondam Bononiæ navavit operam, Italis jam tum acceptus Germanus. Inter gesta per annos 44. Friderici præclara numerârunt spectatores ea maximè, quibus imposuit coronam Imperatoribus tribus, nimirum Wenceslao, Ruperto & Sigismundo. Eodem authore, aut certè adjutore an. 1388. surrexit Athenæum Coloniense ab Urbano VI. raris privilegiis munitum.

SECULUM XXV.

LXX. THEODORICUS II. XLIX. ARCH. XXXIII. ELECTOR.

THEodoricus II. Comes de Mörs annis 48. Archiepiſcopus, Epiſcoporum duorum frater, ipſe ſimul Epiſcopus Paderbornenſis floruit. Inter facinora Theodorici majora numeravit poſteritas diem Theophoriæ ſolennem, quem ſacratiorem eſſe præcepit, ut Latrevticus cultus adverſùs hæreſes ampliùs ſplendeſceret. Cæſaris Verdam ad illud uſque tempus Clivenſi Comiti ſubjectam ditionis ſuæ fecit; Suſatum verò nimiis tributis fatigatum amiſit, ſubditis Comitem Marchiæ ſibi dominum poſcentibus. An. 1463. mortuis appoſuit.

LXXI. RUPERTUS. L. ARCH. XXXIV. ELECTOR.

RUpertus Dux Palatinus Friderici cognomento Victorioſi Electoris frater, à Coloniæ Canonicis eſt electus ea lege, qua Archipræſulis reſtricta plurimùm fuit poteſtas ſacra juxtà ac profana, vixque relicta ſunt Electoris ſuſtentationi congruæ neceſſaria. Aegerrimè ſervitutem hanc noviſſimam tulit cum fratre frater Victorioſus; quare conducto exercitu laturus opem Ruperto, oppida varia & arces Canonicorum copiis occupatas expugnavit. Seditio inde ingens adverſùs Rupertum exorta turbavit omnia: anno namque 1473. à Canonicis in Coloniæ Antiſtitem electus Hermannus Haſſiæ Marchio, in ſuppetias vocavit Carolum Audacem Burgundorum Ducem, qui continuò Noveſium urbem in Colonienſi Electoratu munitiſſimam obſidione cinxit; ſed demum à Friderico III. Cæſare repulſus, ab incœpto opere deſtitit. Rupertus interea omni ex parte derelictus, dum fugam capeſſivit, in via ab Henrico Haſ-

ſiæ

ſiæ Marchione interceptus, annis 3. in captivitate libertatem deſideravit anno 1480. inter ærumnas mortuus an. 17. Elector. Mortui cadaver Bonnam translatum, diuturno tempore ſepulchrum haud impetravit.

LXXII. HERMANNUS IV. LI. ARCH. XXXV. ELECTOR.

HErmannus Haſſiæ Landgravius cognomentum Pacifici ſibi accerſivit pacem ſervando & bella vitando. Atque hac potiſſimùm arte tantùm vicit & ſibimet devinxit ſubditorum plurimorum animos, ut etiam anno 1489. in Paderbornenſem Epiſcopum delectus, nemini non placuerit, præcipuè cùm univerſi Hermannum ſcirent in pauperum catervas eſſe adeò largum atque benevolum, ut iter faciendo mendicabulorum manipulis vias publicas impleverit, haud immeritò *Pater Pauperum* cognominatus. Si ſuo tempore Comitia Jmperii Hermannum in remotiores urbes Coloniâ avocârunt, paſſim conſueverunt multi dicere, nequaquam multis inquirendum eſſe, ubi domicilium haberet Elector Hermannus: cuſtodias enim ejuſdem eſſe copioſos pauperes, totam latè viciniam implentes, & urbe tota Hermannum celebrantes. Non minùs liberalem ſeſe exhibuit ædibus ſacris, quas auro & argento aliisque donis exornare in deliciis erat Archipræſuli virtutis ſtudioſiſſimo, quem poſt Sedis annos 28. an. 1508. ad tumulum copioſis lacrymis proſecuti ſunt cujusvis ſtatus ac generis viri fœminæque.

SECULUM XVI.

LXXIII. PHILIPPUS II. LII. ARCH. XXXVI. ELECTOR.

PHilippus II. Comes Eberſteinius, ut multorum technas & prava eluderet conſilia, nobilium non paucos Electori

Colonienſi equidem ſubditos, ſed parùm fideles ſibi, rogavit palàm, quot proditores Chriſtum Servatorem vendiderint? reponentibus ſingulis: proditor is unus fuit Iſcariotes. Tum verò Philippus: *me verò vendunt proditores multi*, atque hoc dicto perfida multorum diſpulit conſortia. Nihilominus, cùm inter Senatores numerarentur, qui cives oneribus multis gravâſſent, & tardè admodum impoſita ipſi exſequerentur mandata, ob has aliásque non leves cauſas Procerum varii capite plexi, reliquis eum timorem incuſſerunt, ut alieno, quàm ſuo damno ſapere maluerint. Annis 7. Electorem timuerunt Colonienſes; an. 1516. inter varia luctus & lætitiæ teſtimonia publica ſepeliêrunt.

LXXIV. HERMANNUS V. LIII. ARCH. XXXVII. ELECTOR.

Hermannus V. Comes de Wied, Elector ſimul & Epiſcopus Paderbornenſis conſtitutus, opus bene cœptum in fine corrupit: ab anno enim 1530. pravis libertinorum conſiliis ſeductus, haud obſcurè cœpit favores prodere Luthero & ſociis: Argentorato enim Bonnam vocâſſe fertur Bucerum, ex Saxonia verò Melancktonem, quorum librum, Hermanni nomine editum, confutârunt Coloniæ Scriptores. Hermannus tamen ſpretis Catholicorum conſiliis & libris Kempenæ, Andernaci alibique locorum nova placita ſpargi permiſit, aut turpiùs mandavit, ex paſtore factus lupus. Igitur à Romano Pontifice Paulo III. & Imperatore Carolo in ſummas redactus anguſtias, Sedeq; ſua pulſus, an. 1547. elapſo exinde luſtro unico in Comitatu Wiedano an. 1552. eſt extinctus.

LXXV. ADOLPHUS III. LIV. ARCH. XXXVIII. ELECTOR.

Adolphus Comes de Schauenburg Hermanno V. Adjutor junctus, & ipſo Sede amoto Archipræſul conſecratus, providè contrariam Anteceſſori iniit viam, ſparſa doctri-

næ

næ novæ ſemina in tempore ſuffocanda eſſe probè gnarus: unde è Coloniæ ditionibus migrare juſſi Heterodoxi, ægerrimè obtemperârunt: Adolphus verò ad nutum Romani Pontificis & Caroli Cæſaris intentus, inter Concilii Tridentini Patres dixit ſententiam; *9.* annorum Archiepiſcopus, multis Catholicorum encomiis exornatus vivus & mortuus 155*6*.

LXXVI. ANTONIUS. LV. ARCH. XXXIX. ELECTOR.

ANtonius Comes de Schauenburg, Adolphi III. frater, ob fratris & ſua merita inſignia in Caput Coloniæ ſupremum electus, plura deſideravit agere, quàm egit morte præventus immatura an. Sedis jam altero: unde habet diſtichon:

Succeſſit fratri paucis Antonius annis,
Cùm vita, haud virtus deſtituêre virum.

LXXVII. IOANNES GEBHARDUS. LVI. ARCH. XL. ELECTOR.

GEbhardus Comes Mansfeldius vix electus eſt Archipræſul, mox morbo proſtratus diuturno, cœpit mortem meditari vix 4. annorum Elector, mortuus an. 15*62*.

LXXVIII. FRIDERICUS IV. LVII. ARCH. XLI. ELECTOR.

FRiderico Comiti de Wied, cùm non minùs quàm Gebhardo, perpetui morbi incubuiſſent, honorificum Electoratûs munus, & ponderoſum onus in Succeſſorem liberè tranſtulit an. Sedis 5. vel *6.* ſervata ſibi in annos futuros non magnâ auri ſummâ, quam tamen etiam mors brevì ſecuta invidere eſt viſa an. 15*67*.

LXXIX. SALENTINUS. LVIII. ARCH. XLII. ELECTOR.

SAlentinus Comes Isenburgicus an. 1567. Coloniensi Infula exornatus, an. 1574. Mitram Paderbonæ alteram capiti imposuit. Utriusque nimirum Ecclesiæ Canonicis summopere probata est Salentini cura Ecclesiastica simul & domestica, qua thesauros utrosque auxit & multiplicavit. Verùm tametsi auro & meritis dives diceretur Salentinus, his tamen omnibus longè visus est præferre generis sui propaginem: abdicato enim post annum Sedis 10. Electoratu, duxit Antoniam Arenbergicam, ne mortis falci penitus succumberet stemma Isenburgicum.

LXXX. GEBHARDUS. LIX. ARCH. XLIII. ELECTOR.

GEbhardus Truchsessius ab Ottone Episcopo Augustano E. R. C. patruo suo ritè moribus formatus, & statum meliorem eligere doctus, eo profectu visus est institisse Truchsessiorum Comitum gloriosis vestigiis, ut anno ætatis suæ 30. in Archiepiscopum Coloniæ jam fuerit electus, posthabito etiam Ernesto Bavaro Frisingensi simul & Hildesiensi Episcopo. Verùm fefellit plurimùm universos malè concepta spes de tanto, ut ajebant, juvene: Gebhardus enim Agnetis Mansfeldicæ illiciis & laqueis adeò est irretitus, ut desertor Ecclesiæ Romanæ factus, clam cum amasia celebrârit nuptias, animo simul retinendi Electoratum Coloniensem. Armatas eum in finem manus Gebhardo adversùs quosvis hostium impetus promiserunt Joannes Casimirus Comes Palatinus, Hassiæ Marchio, Comites item de Solm, Nassau & Geroldseck &c. Verùm ab Hispanorum è Belgio mox translatorum præsidiis Bonnâ occupatâ, Gebhardus pulsus, Romæ simulque Coloniæ est exauthoratus, Pontifice Gregorio XIII. sententiam dicente an. 1583. unde

unde derelictus ferè ab omnibus fugit in Hollandiam, ubi ab Oraniæ Duce exceptus, extorrium more cum ſacrilega conjuge vixit ad annum 1601.

LXXXI. ERNESTUS. LX. ARCH. XLIV. ELECTOR.

ERneſtus Alberti V. Ducis Bavari filius, tribus jam Infulis, Leodienſi nimirùm, Hildeſienſi & Friſingenſi junxit quartam eámque majorem reliquis Colonienſem. Pedo & Gladio opus fuit Erneſto; Pedo quidem, ut oves diſperſas unum in ovile reduceret; Gladio autem, ut lupos permultos, hoſtes nempe ſuos copioſos, procul pelleret, quod utrumque præclarè prorſus præſtitit per annos 29. Utrumque paucis complexus Poeta canere nos docuit:

Erneſtus Bavarus certans Gladioque Pedoque
Reſtituit læſis vimque decusque ſacris.

Talia tametſi probarentur minimè Lutheri aſſeclis Viris Principibus, hi nihilominus quod in Erneſto reprehenderent, non invenerunt, quod verò dilaudarent, facilè repererunt: vixiſſe enim & mortem Arensbergæ obiîſſe an. 1612. non niſi *ſanctiſſimè*, libris teſtibus confitentur. Glorioſus igitur reliquorum omnium ex Domo Bavarica Electorum Coloniæ anteſignanus Erneſtus, Coloniam Romam Germanorum dictam, dum non condidit, magnam partem reſtauravit.

SECULUM XVII.

LXXXII. FERDINANDUS. LXI. ARCH. XLV. ELECTOR.

FERDINANDUS Wilhelmi V. Bavariæ Ducis filius, Erneſti Electoris Nepos, Academiæ Ingolſtadienſis lucidiſſimum ſydus in juventute fuit, in qua eruditionis & ſcientiarum præ-

præclara reliquit monumenta, auditus haud ſemel duntaxat propoſitas Theſes doctiſsimè propugnare & impugnare, digniſſimus Princeps, qui quadruplici Mitra exornaretur ſuo tempore. Annis 38. Eccleſiæ Colonienſi emolumento ejusdem maximo præluxit, totidem ferè annis mala perpeſſus graviſſima: ab anno enim 1625. Brunſvicenſium copiæ per Colonienſem Electoratum graſſatæ ſunt quidvis audendi libertatem jus ſuum ratæ. Ab an. 1632. ſucceſſit Guſtavus Adolphus Suecorum Rex Ferdinando Electori eò infenſior hoſtis, quò arctiori ſanguinis vinculo Maximiliano Electori Bavaro, & amicitiæ fœdere Ferdinando Cæſari conjunctum eſſe noverat Electorem Coloniæ, ſimul & Archipræſulem, & Lutheri hoſtem. Haſſorum etiam armatæ copiæ Colonienſes ditiones animo maximè hoſtili invaſerunt, inde nulla nec arte, nec vi expulſæ; donec denique inita pace Noveſio aliisque urbibus egredi pacta publica ſuaſerunt, liberali auro viam ſternente ad reditum. Cæterùm componendis in Imperio turbatiſſimo negotiis ab Imperatore Ferdinando II. adhibitus, & à partibus, ut id faceret, rogatus, ita ſatisfecit omnibus, ut Ferdinandi virtus nunquam non eminuerit inter virtutes Virorum Principum non paucorum. Ferdinandi nimirum inſtar regulæ erat quotidie fortiter agere & pati, atque adeò eſſe *Epiſcopum*, hoc eſt *perfectum*, quale teſtimonium de ſuo Paſtore dixerunt oves omnes bonæ.

LXXXIII. MAXIMILIANUS. LXII. ARCH. XLVI. ELECTOR.

MAximilianus Henricus Ducis Alberti Bavari filius Pedo triplici fortior ac firmior, Eccleſiam triplicem multis ſuis virtutibus ſolidiſſimis confirmavit, Colonienſem nimirum, Leodienſem & Hildeſienſem. Et verè virtutes Maximiliani Eccleſiæ columnas dixit S. R. E. Cardinalis Julius Mazarini, qui ab æmulis ad Gallorum Regem Ludovicum

cum XIV. delatus, tantisper aulam Francicam fugit, & anno 1651. ad Maximilianum hospes pervenit. Columen suum non minùs expertus est Maximilianum Ernestus Hassiæ Marchio, qui an. 1652. Coloniam sibi elegit columnam, ut relicto Lutheri ædificio ruinoso staret & quiesceret securiùs. Annis Electoratûs sui posterioribus, partim domesticis, partim externis, expositus bellis, fortunam sustinuit variam, præsertim verò dum fœdus iniît cum Gallorum Rege adversùs Batavos haud annuente Cæsare. Maximiliani scopus erat, ditiones suas à Batavis sibi ereptas, præsertim verò Rhenobergam munimentum suum recuperare, quod promittebat & præstabat initum cum Gallis fœdus. Inter sacrum & saxum igitur medius Maximilianus, quò se verteret, crebrò incertissimum habuit, soli Deo denique adhærere & aliàs, & maximè in lucta ultima doctus, quam sustinuit an. 1688. post annos Regiminis 38.

LXXXIV. JOSEPHUS CLEMENS. LXIII. ARCH. XLVI. ELECTOR.

JOsephus Clemens Dux Bavarus Maximiliani Emanuelis Electoris frater an. 1688. favente Innocentio XI. & Cæsare Leopoldo contra S. R. E. Cardinalem Wilhelmum Fürstenbergicum Argentinæ Episcopum, & Archiepiscopi Coloniensis Adjutorem electus, Mitram Leodiensem unà cum Coloniensi conservavit, Frisingensem verò & Ratisbonensem Successoribus aliis reliquit. Varia dein Martis discrimina subiit, certantibus inter sese de corona Hispaniæ primò Cæsare & Gallorum Rege; mox verò Europâ propemodum universâ. At tandem stabilita pace sacris sese totum muniis denuò consecravit Elector Clemens, dum more Episcoporum veterum nunc conscensis exedris sacris ad avidissimum populum dixit, nunc Sacerdotes aut Episcopos consecravit, nunc ad Christianas aras perductos Baptismatis aquâ mundavit, nunc ritè baptizatos in fide confirmavit, paratissimus

etiam non raro confitentibus aures accommodare. Annos vivendo ſuperavit 53. annis 35. Coloniæ Sedem ſuis virtutibus multis exornavit, anno ſeculi noſtri 23. ad meliorem vitam eſt evocatus. Hæc in compendio dixiſſe ſufficiant. Plura qui deſiderat, Scriptores Colonienſes adeat & urgeat, ut ſcribant ſuorum Principum facta & fata.

LXXXV. CLEMENS AUGUSTUS. LXIV. ARCH. XLVIII. ELECTOR.

Clemens Auguſtus Maximiliani Emanuelis Electoris Bavari filius, an. 1700. inſtar feliciſſimi ſyderis menſe Auguſto natus nobis, & ab ineunte ætate partim in principe Bavarorum urbe Monachii, partim in ipſa Urbe urbium domina moribus optimis & præclaris exornatus ſtudiis, ipſum Romanum Pontificem Clementem XI. veneratus eſt perſæpe, rerum ſuarum & arbitrum & laudatorem ſanctiſſimum. Promeritus eſt inde maximè, exornari primò Mitra Epiſcopali Ratisbonæ; paucos verò poſt annos Paderbornæ, Monaſterii, Coloniæ & Hildeſiæ. Plura modò non ſinunt ſcribere Auguſti Principis & Electoris perſpecta omnibus modeſtia, & Hiſtoria mortuorum magìs, quàm vivorum viva memoria.

PRÆ-

PRÆFATIO.

NOn te latet fortaſſis, Amice lector, Hübnerum, & Scriptores Hübnero non abſimiles, multas paginas ſcripſiſſe contra ipſos Romanos Pontifices, & Imperatores per ſecula ſuæ Hiſtoriæ propemodum ſingula, ad hanc noſtram usque ætatem. Hac de cauſa in Serie Romanorum Pontificum juxtà ac Imperatorum, ſuas ſeculis ſingulis ſubjungendas eſſe exiſtimavi Reflexiones contra Hübnerum alióſque Heterodoxos Scriptores, ut pro modulo meo propugnarem cauſam ſumorum in orbe terrarum virorum Principum. Pari ferme audacia iidem Scriptores Heterodoxi acuerunt calamos in Archiepiſcopos, Epiſcopos & Sacerdotes, præſertim Parochos per Germaniam univerſam multos. Quam ob rem non incongruum fore duxi, præſenti etiam libello ſuas inſerere Reflexiones, ut Hübneri maximè pateant identidem magis fallaciæ. Quoniam verò Hübnerianæ hæ fabulæ perſæpe non uuum magis, quàm omnes offendunt Eccleſiæ Antiſtites, nec uni potiùs, quàm pluribus ſunt propriæ ſeculis, ideo Reflexiones non in ſecula diſtinguere, uti factum in Serie Rom. Pontificum ac Imperatorum, ſed poſt triplicem Archiepiſcoporum ſimúlque Electorum Seriem collocandas eſſe putavi, ductus hoc etiam argumento, quòd ipſæmet uno quaſi vinculo trahantur, & ſeſe ſequantur ordine non facilè interrumpendo.

REFLEXIO I.

SUPRA SERIEM ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM MAXIME GERMANORUM.

SApientiæ ædificavit ſibi *Domum*; excidit *Columnas ſeptem* *Prov.* 9. Servator nempe noſter ſapientiſſimus, Auctor Fidei, & Conditor Eccleſiæ divinus, ſibi Domum per univerſum terrarum orbem maximam ædificavit, cujus ipſemet angularis *Lapis*, Petrus Apoſtolus *Petra*, Apoſtoli reliqui ſunt facti *columnæ Principes*, aut etiam *Fundamentum poſt Petram alterum.* Sacerrimæ hujus domus ſucceſſu temporis columnæ etiam exciſæ, & conſtitutæ ſunt multæ; Archiepiſcopatus nimirum, & his minores Epiſcopatus per quatuor orbis tractus ampliſſimos, præſertim verò per Europam noſtram celeberrimi, Moguntinus, Trevirenſis, & Colonienſis &c. quorum, ſicuti aliorum multorum antiquiſſima eſt origo, & quidem nulla alia, niſi Romana. Ita profectò res habet, Petrus Romana Petra eſt baſis firmiſſima ipſo fulciente Chriſto, quibus non minùs quàm Italica, Gallica, Hiſpanica &c. noſtra Germanica innititur

tur Ecclesia multis firmata columnis. Verùm dum Romanæ Ecclesiæ innitentium firmissimè Ecclesiarum multarum mentem meam in sese vehementer rapit jucunda contemplatio, audio inimicas voces & tumultus hoc nostro potissimùm tempore obstrepentes & vociferantes: ridete triumphum Papistarum ante victoriam! gloriantur hi simplices suâ petrâ Romanâ; gratulantur vanissimè suas sibi per Germaniam & alia multa regna Columnas, ùt ajunt, sacras; cùm tamen probata sit necdum *Petri Potestas Vicaria*, *eáque post Christum suprema;* necdum etiam liqueat de *Primatu Romanæ Sedis:* non suppetant argumenta ex Sacro Codice, imò hic ipse palàm refragetur cum non dubia Historia. Ita ferè non ita pridem scripsit Tigurinorum Declamatorum non nemo, non ausus tamen sua committere typis, quod optabam. Idem addidit, unà se & Collegas suos hoc unum spectare, & exspectare, ut primò S. Codicis argumentis, & dein testimoniis minoribus solidetur Primatus Petri, Sedis Romanæ authoritas: hoc uno impetrato, sese cum sociis & ovibus subditis quamprimum propiùs accessurum Aris Romanis. Non absimilia scripsit Hübnerus & Scriptores Lutherani passim. Hunc ipsum veriùs ludendi, quàm loquendi modum audimus crebrò hodie à militibus in Romani Imperii propugnaculis. Argumenta verò cùm à nostris Theologis præsertim Polemicis methodo Polemica sint adeò magno numero & modo firmissimo proposita, ut non nisi ignarus, aut pertinax possit obgannire; nihilominus haud abs re erit, addere mentem & methodum Historicam, præsertim cùm hoc nostro seculo multifariam id ipsum Lutherani Historici agant, utì ex Serie Romanorum Pontificum, & Imperatorum liquet, atque nunc ex Serie Archipræsulum Germanorum ampliùs liquebit. Argumenta itaque nonnullis in paginis non tam nova afferam, quàm antiqua repetam, quoniam meritò censentur solidissima. Argumenta verò secundum suos gradus veluti in scala ponantur, ut Orthodoxis & Heterodoxis nunc lubeat ascendere, nunc de-

ſcendere à gradu ſummo ad infimum, aut ab infirmo ad ſummum.

Summus omnium argumentorum ordine gradus eſt S. Codicis authoritas, & ſenſus in Chriſti Eccleſia non cujusvis privati Doctoris, longè minùs indoctorum ſententia, ſed ſenſus communi totius Eccleſiæ conſenſu uno ſupremo Duce ac Judice probatus, ſtabiliter ſervatus, & ſervandus. Audite verò jam verba ſæpiùs audita, multis nunquam bene intellecta, aut perſpecta: audite ſimul ſenſum Eccleſiæ antiquiſſimæ & noviſſimæ communiſſimum.

ARGUMENTA EX S. CODICE.

ET ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Matth. 16.

Cùm ergo prandiſſent, dicit Simoni Petro Jeſus: Simon Joannis diligis me plus his? dicit ei: etiam Domine tu ſcis, quia amo te. Dicit ei: paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? ait illi: etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei: paſce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Joannis, amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit tertiò, amas me? & dixit ei: Domine tu omnia nôſti: tu ſcis, quia amo te. Dixit ei, paſce oves meas. Joan. 21.

Jam verò hujus utriusque, ut taceam alia, divini oraculi ſenſus de Primatu D. Petri & Succeſſorum Romæ ex ſuomet tenore, ac vocum ſingularem planiſſima acceptione in aures & animos proborum hominum inſtar atque limpidiſſimæ videtur influere: diverſus verò ab hoc ſenſus & aures torquet, & offendit ſanum cerebrum. Haud alium quàm noſtrum ſenſum ſibi dixit propriiſſimum & vetuſtiſſima, & veriſsima Eccleſia: adſunt enim copioſiſsima Conciliorum & Patrum per primas pro Eccleſia Veteri annorum centurias: adeſt Hiſtoria non tantùm ab Orthodoxis, ſed ex parte etiam ab Heterodoxis ea methodo ſcripta, ut hi fateantur continuam Romanorum Epiſcoporum Seriem, Seriem item Archiepiſcoporum & Epiſcoporum non niſi Romano Pontifici à primis ſeculis ſubditorum, atque ab eodem legitimam

timam potestatem impetrantium. Quæ omnia ne videar dicere confidentiùs, quàm veriùs, multa, quæ alii multis prosecuti sunt foliis, in brevem fasciculum collecta, hoc in libello juxta præfixum ordinem ac metam considerabimus. Verùm ne in Reflexionum exordio nimia sit prolixitas, venturis Reflexionibus patientiam Lectoris integram servare, & labor & opus est. Solùm itaque nunc S. Codicis textus, & pauca alia huc apponantur, quæ Catholicæ sententiæ prorsus contraria dicunt Scriptores & Lectores Heterodoxi.

TEXTUS S. CODICIS, PRIMATUI D. PETRI IN SPECIEM CONTRARII, EXPLICANTUR.

I. Vos autem nolite vocari Rabbi: unus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis. Item, *nec vocemini Magistri, quia Magister vester unus est Christus. Matth.* 23. *v.* 8. *&* 10.

II. Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator. &c. Luc. 22. *v.* 24. *&c.*

III. Regnum meum non est de hoc mundo. Joan. 18.

IV. Bibebant autem de spirituali, consequente eos petra: Petra autem erat Christus. 1. *Cor.* 10.

V. Nihil minùs fui ab iis, qui supra modum sunt Apostoli. 2. *Cor.* 2.

VI. Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Matth. 18.

VII. Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Joan. 20.

VIII. Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Galat. 2.

Hæc aliáque oracula à Catholicorum adversariis propugnaculi instar opinione sua inexpugnabilis opponuntur D. Petro & hujus Successori Romano Pontifici. Pugnant proinde hac etiam, veluti multis, imò plurimis in Scripturæ Sacræ partibus Orthodoxi, & Heterodoxi? pugnârunt jam Veteris Testamenti tempore inter sese Hebræi, Pharisæi, Sadducæi &c. pugnârunt à primo nati Servatoris usque ad hodiernum seculum multis in dogmatibus diversissimi Christiani: diversissima est hodie diversarum partium

interpretatio, mens & ſententia; & tamen, quod mirandum maximè, Scriptura minimùm in rebus magni momenti eſt perquam clara, tota eſt meridies! Hæc probè ſibi notanda cenſeant, quotquot ita ſentiunt noviſsimi S. Codicis interpretes.

Mens verò una, indubitata, atque adeò communiſsima Catholicorum circa allata in ſpeciem contraria oracula ex ſequentibus liquebit reſponſis. Et ad

I. & II. quidem meritò reprehendit diſcipulos ſuos Magiſter Chriſtus, quòd contenderent inter ſeſe de Primatu; ambitio enim in omnibus vitioſa, in Apoſtolis potuit dici vitioſiſsima. Indignus nimirum eſt honore non vano, qui vanè ambit honorem: honor ambientes fugit, fugientes inſtar umbræ ſequitur. Nequaquam dignus eſt Sede Pontificia, qui quovis modo contendit eam in Sedem extolli. At verò ſi eligant, quorum eſt eligere Pontificem, tunc procul dubio ceſſat reprehenſio, & ſuus ritè electo honor & locus eſt honorificus. Audiamus hanc in rem oracula etiam Evangelica. Joan. 7. & 8. *Qui à ſemet ipſo loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus, qui miſit eum, hic verax eſt, & injuſtitia in illo non eſt. Si ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt: eſt pater meus, qui glorificat me.*

Paucis multa: honores præſertim Eccleſiaſtici, dignitates, *Infulæ*, *Galeri & Tiara* nec venales habeantur pretio, nec proſtent ſubjectæ precibus, licèt armatis. Non candidatorum deſideriis, ſed electorum ſuffragiis integris conferantur. Audiamus Apoſtolum Heb. 5. *Nec quisquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron: ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum: filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Exponant jam, aut torqueant in ſuum ſenſum S. Codicis verba, quæ in nos paulò antè intorsêre conatu vaniſsimo; & tum patebit, nec Lutheranis, nec Calvinianis, nec ullis aliis vel re, vel nomine Chriſtianis eſſe eligendos deinceps *Magiſtros*, *Decanos*, *Prætendentes*, *Epiſcopos &c.*; objicere namque continuò illiteratorum etiam quiſpiam nullo negotio poſſet: *nolite vocari Rabbi: unus eſt enim Magiſter veſter.* Item: *nec vocemini Magiſtri &c.* Ad

R. Ad VI. VII. & VIII. Oraculum nobis ex S. Codice oppoſitum: quòd nimirum Paulus & junior & minor Petro ſemel, aut bis fortè in facto quopiam particulari in faciem etiam reſtiterit, idem facinus ſimile profectò eſſet huic, ſi hodie Romano Pontifici Purpuratorum Patrum quiſpiam ob verbum, aut factum minùs ad rem idoneum reſiſteret meritò. Factum ſimile accideret, ſi Vir probatæ fidei & conſilii Princeps Imperatori aut Regi reſiſteret non immeritò, an hanc ob cauſam Vir Princeps talis par aut major haberetur Cæſare? an ideo Pontifex aut Imperator poteſtate ſua ſuprema excideret? minimè gentium. Evaſit quippe Petrus Dei vocatione & creatione in Supremum Pontificem; fuit tamen, & perſeveravit eſſe homo: quoniam verò errare humanum eſt, potuit is ipſe Supremus inter homines Pontifex errare in verbo & facto, quod ad Normam Fidei & Morum Regulam univerſæ Eccleſiæ traditam parùm attinebat, quale factum cenſebunt, quicunque Gal. c. 2. denuo legerint, quod ita ſonat: *cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat: priùs enim, quàm venirent quidam à Jacobo, cum gentibus edebat: cùm autem veniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe, timens eos, qui ex circumciſione erant. Et ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in ſimulationem &c.* En factum ipſius D. Pauli calamo ſcriptum, & Deo teſte integrum! nullum hic locum obtinuit Norma Fidei, nullum locum Regula Morum. Cæterùm procul dubio acceperunt Apoſtoli à Petro diverſi poteſtatem admodum eminentem, qualem nimirum hodie obtinent Epiſcopi & Capita per Eccleſiam univerſam plurima, dum & ipſi nunc ligandos ligant, & ſolvendos ſolvunt, ſententias eorundem ratas habente Deo, & ſupremo hujus Vicario. Talem tamen tantámque, quantam accepit Petrus, accepiſſe Apoſtolos reliquos à Chriſto poteſtatem demonſtrare, eſt oceanum ſine navigio navigare; qui operi & labori hactenus ſuccubuerunt; quotquot Petri naviculam impugnârunt hoſtes oceani procellis obruti. Profectò nec verba Evangelii clara, nec Traditio, nec

Authoritas, nec Historia docuerunt Orthodoxos suæ doctrinæ contrarium. Fingamus nihilominus, iisdem allatis Evangelii verbis probari quidpiam, & tum illud Theologorum & Philosophorum, quin omnium literatorum commune adagium habebit locum, *qui probat nimiùm, probat nihil*: sequela namque probaret, omnibus omnino legitimis Sacerdotibus æqualem à Deo datam fuisse copiam solvendi atque ligandi; singulos esse Pontifices, vel nullum; omnes esse superiores, vel subditos omnes sine Capite, sine Judice, sine Magistro, sine Præceptore &c. O Chaos! O Babylon!

Ad III. reponitur, duplis generis esse regna, Ecclesiasticum nempe & Politicum, quod utrumque exhibuit abundè universis Testamentum Vetus, in quo etiam eminuerunt supra quosvis Summi Pontifices & simul Judices multi. Regnum igitur Servatoris nostri in terris non fuisse Politicum aut mundanum, quale solet esse Imperatorum & Regum, is ipse non obscurè dixit, qui Pilato respondit: *Rex sum ego, regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri utique mei decertarent, ut non traderer Judæis &c.* Joan. 18. Quemadmodum in Evangelio hoc loquitur Verbum Divinum de Ministris non Ecclesiasticis, sed Politicis & mundanis, ita verba fecisse credendum est non de Rege, aut Monarcha Ecclesiastico, sed de diverso longè. Secus si verba aut sensum sumas, rem evincis, Heterodoxe, prorsus contrariam tibi: ais enim conformiter placitis tuis, Christum fuisse discipulorum omnium unum ac Supremum Magistrum: item eundem esse Maximum Authorem Ecclesiæ: tanquam Supremum Caput concessisse potestatem Ecclesiasticam Apostolis, & horum in officiis Successoribus. Qualem igitur tu Magistrum, & Authorem, & Caput Supremum, non utique mundanum aut Politicum, sed sacrum & Hierarchicum intelligis, ita non regnum, aut Regem mundanum intelligi jure censemus Catholici.

Ad

Ad IV. dico: Qui bene distinguit, bene docet. Utinam axioma hoc didicissent plurimi, qui confundunt plurima, contenti nimiùm quantùm, si multos ex S. Codice textus, veluti unum in cumulum congesserint, absque ordine tamen, & absque distinctione. Distinguamus igitur (nam sæpe opus est maximopere) Vetus & Novum Testamentum. Veteris Testamenti Lapis angularis & Petra suo etiam modo jam fuit Christus venturus, de quo nimirum optima quæque prædixerunt Prophetæ, & significârunt figuræ præviæ. Hæc ipsa Petra divinissima Christus non minùs est Lapis angularis Testamenti & Ecclesiæ Novæ. Verùm hic ipse Lapis angularis & Petra divina admisit lapidem & petram alteram, nimirum humanam, adversùs quam, ne portæ inferi prævalerent, providit & providebit nunquam non Petra divina, Petra solidior, solidissima. Codex sacer, uti novimus, Dei digito scriptus, nec emendationem, nec additionem, nec diminutionem, bene tamen explicationem, aut interpretationem patitur. Locum igitur hic obtineat communissima petræ geminæ data explicatio. Sed in exemplo res pateat ampliùs. Ædificant Imperatores & Reges munimenta, arces & palatia; ut firmitas insit operi, terram effodiunt, fundamentum ex solido struunt lapide: fundamento huic superimponunt ligna & lapides usque ad verticem. Tota verò structura nunquam stabit aut perseverabit, nisi innitatur fundamento alteri, nimirum terræ & centro suo prorsus immobili. En fundamentum duplex, en petram geminam sub ædificiis etiam humanis! fac inde concipias fundamentum duplex, aut petram geminam in ædificio divino, quale dicamus oportet Ecclesiam.

Ad V. sit præsens responsum: D. Paulum plus scripsisse, plus item in vinea Domini laborâsse, quàm laborârunt Apostoli alii, Theologorum nemo ignorat: dixit igitur verè Paulus, *nihil minùs fui ab iis, qui supra modum sunt Apostoli.* Responsum hoc si minùs placeat adversario, eidem Antagonistam sisto ipsummet Paulum

lum 1. Corinth. cap. 15. ita dicentem: *ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Idem eodem capite teſtatur, Redemptorem noſtrum redivivum apparuiſſe Petro, & dein undecim Apoſtolis, ac demum multis aliis. Verba D. Doctoris ſunt: *Et quia viſus eſt Cepha* (hoc eſt Petro) *& poſt hoc undecim: deinde viſus eſt plùs quàm quingentis fratribus ſimul.* En Pauli doctrinam ſeſe minimè comparantis Apoſtolis reliquis, longè minùs Apoſtolorum Principi Petro, cui apparuiſſe ſcribit Chriſtum primo loco tanquam Capiti, dein Apoſtolis undecim tanquam membris præcipuis, & tandem quingentis fratribus tanquam membris reliquis univerſæ Eccleſiæ.

REFLEXIO II.

Viri à prudentiâ, doctrinâ & virtutibus multis æſtimatiſſimi, quales fuerunt multi Summorum Pontificum, complures in Conciliis Patres, & Ecleſiæ Doctores, quos ſæpe Sacros Interpretes etiam appellare conſuevimus, manifeſtum nobis fecerunt, & hodie relictis ſuis teſtimoniis faciunt, qualis mens fuerit Eccleſiæ de Primatu Petri antiquiſſimæ, quam à veritatis tramite nondum aberrâſſe confitentur ipſimet Lutheri, & Calvini aſſeclæ ſaltem plerique, aut plurimi inter ſemetipſos diſſidentes. Audiamus igitur in præſenti Reflexione quorumdam Sanctiſſimorum Pontificum, in Reflexione ſequenti Conciliorum, & dein Doctorum, & aliorum Authorum de Primatu Romanæ Eccleſiæ ſententias.

ARGUMENTA EX EPISTOLIS SS. PONTIFICUM, PRIMIS TRIBUS SECULIS PROPINQUORUM.

1. D. Julius I. Seculi IV. Pont. in Epiſtola, quæ habetur in Apologia 2. S. Athanaſii, ita loquitur: *an ignari eſtis, hanc eſſe conſuetudinem*

dinem, ut primùm nobis scribatur, ut hinc, quod justum est, definiri possit? quapropter si istic ejusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. Inferiùs sic prosequitur; *quæ accepimus à D. Petro Apostolo, ea vobis significo, non scripturus alioqui, quæ nota apud vos esse arbitror, nisi facta ipsa nos conturbâssent.*

II. D. Damasus ejusdem Seculi IV. Pont. in epist. 4. ad Episcopos Numidiæ data hæc habet: *cuncta quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos tanquam ad Caput, ut semper fuit consuetudo, deferre non desinatis.*

III. D. Syricius ultimus IV. Seculi Pont. in epistola ad Himmericum Episcopum Tarraconensem, quam etiam Calvinus Syricii epistolam dixit, talia scripsit: *portamus onera omnium, qui gravantur. Quinimò hæc portat in nobis D. Apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ùt confidimus, administrationis suæ protegit & tuetur hæredes.* Similia prosequitur inferiùs.

IV. D. Innocentius V. Seculi Pontifex secundus in epistola 22. ad Episcopos Macedoniæ hæc dixit: *adverti, Sedi Apostolicæ, ad quam relatio, quasi ad caput Ecclesiarum missa currebat, fieri injuriam.* Idem in epist. ad Concil. Carthag. data: *Romana Sedes est fons & caput omnium Ecclesiarum.* Idem denique in epist. ad Concilium Milevitanum, quæ habetur inter epistolas D. Augustin. 93. scripsit sequentia: *diligenter & congruè Apostolico consulitur honori; honori, inquam, illius, quem præter illa, quæ extrinsecus sunt, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum; antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nôstis esse servatam.*

V. D. Leo M. Seculi V. Pont. VII. in epistola 84. scripsit ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum: *sicut Præcessores mei Præcessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi, ut curam, quam universis Ecclesiis principaliter ex divina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus, adjùvares, & longinquis ab Apostolica Sede provinciis, præsentiam quodammodo nostræ visitationis impenderes.* Similia plura continet eadem epistola. e. g. *Igitur secundum SS. Patrum Canones Spiritu Dei conditos & totius mundi reverentiâ consecratos, Metropolitanos singularum provinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus, ita ut à regulis præstitutis nulla aut negligentia, aut præsumptione discedant.* Idem Pontifex

ſex Sermon. 1. de natali Apoſtolorum his verbis Romam alloquitur: *per ſacram Beati Petri Sedem Caput Orbis effecta latiùs præſides religione divina, quàm dominatione terrena: quamvis enim multis aucta victoriis, jus Imperii tui terrâ marique protuleris, minùs tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubjecit.*

VI. D. Gelaſius in epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ ſic ait: *cuncta per mundum novit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententiis ligata Pontificum, Sedes Beati Petri Apoſtoli jus habet reſolvendi, utpote quæ de omni Eccleſia fas habeat indicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio.*

VII. D. Anaſtaſius II. Seculi V. ultimus Pont. in epiſtola ad Imp. Anaſtaſium Authorem Schiſmatis hæc exaravit: *per miniſterium humilitatis meæ, ſicut ſemper eſt Sedes B. Petri in univerſali Eccleſia, aſſignatum ſibi à Domino teneat Principatum.*

VIII. D. Joannes II. Seculi VI. ſextus Pont. in epiſtola ad Juſtinianum ſeniorem Imperatorem data, & Codici Juſtinianeo inſerta ita docet: *inter claras ſapientiæ ac manſuetudinis veſtræ laudes, Chriſtianiſſimæ Principum, puriore luce tanquam aliquod ſydus irradiat, quòd amore fidei, quòd charitatis ſtudio edocti, Eccleſiaſticis diſciplinis Romanæ Sedis reverentiam conſervatis, & ei cuncta ſubjicitis, & ad ejus deducitis unitatem, ad cujus auctorem, hoc eſt, Apoſtolorum primum, Domino loquente, præceptum eſt: Paſce oves meas, quam eſſe omnium verè Eccleſiarum caput, & Patrum regulæ, & Principum ſtatuta declarant &c.*

Omittendos hìc brevitatis ergo cenſui multos alios Romanos Pontifices, nec ab Hübnero, nec ab hujus ſociis vituperatos, quod laudis inſtar haberi poteſt. Omiſi etiam in gratiam Scriptorum Heterodoxorum epiſtolas Seculi I. II. & III. Pontificias, eò quòd, an Pontificum primorum fuerint, longè magìs ambigant iidem Scriptores, quàm de epiſtolis Pontificum Seculi IV. V. & VI. Quorum ſententiæ de Romanæ Eccleſiæ Primatu cùm neutiquam ſint obſcuræ, nec Heterodoxorum ulla adſint argumenta; utra proinde via ſit ſecurior, ſententiam ferat æquus arbiter.

RE-

REFLEXIO III.

Concilia maximi à Catholicis æstimata, æstimantur magni etiam ab Acatholicis, tamdiu nempe, quamdiu videntur refragari Catholicis, & patrocinari non Catholicis. Paradoxon sanè! post tria namque à Nativitate Christi Secula prima Ecclesiam tenebris obrui, sub modium abripi &c. clamant, & tamen Concilia non nisi post tria Christi nati Secula primùm celebrata, totius Ecclesiæ compendia magni æstimanda existimant. Quis amabo sanæ mentis homo capiat hoc mysterium? Verùm cedamus tantisper, æstimemus, veluti sunt æstimanda maximi Concilia; magni nobiscum faciant Concilia Heterodoxi: dehinc deducamus argumenta posteris relicta.

ARGUMENTA EX CONCILIIS.

I. Concilium I. Nicænum Secul. IV. tempore D. Sylvestri & Constantini Magni celebratum Canon. VI. in tomis Conciliorum sic habet: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum, mos autem perduret in Ægypto, vel Lybia & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos est.* Ubi Pontifex seu Episcopus Romanus ex communissima totius Ecclesiæ sententia tanquam regula Episcopi Alexandrini & aliorum proponitur. Idem Conciliim Canon. 39. sic ait: *ille, qui tenet Sedem Romæ, Caput & Princeps est omnium Patriarcharum; quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, ut qui sit Vicarius Christi D. N. super cunctos populos, & cunctam Ecclesiam Christianam. Et quicunque contradixerit, à Synodo excommunicatur.*

II. Concilium Ephesinum Seculo V. sedente D. Cælestino, imperante Theodosio II. teste Evagrio fassum est, *à se deponi Nestorium ex mandato Cælestini Romani Pontificis.* Idem Concilium datis literis ad D. Cælestinum fatetur, *se causam Joannis Patriarchæ Antiocheni quòd magìs dubia esset, quàm causa Nestorii, non fuisse ausam judicare, sed reservâsse judicio ipsius Cælestini.*

III. Con-

III. Concilium Chalcedonense sub D. Leone I. & Martiano Imperatore institutum post lectum Concilii Nicæni 1. Canonem VI. Act. 16. ita dixit: *Perpendimus omnem Primatum, & honorem præcipuum, secundum Canones antiquæ Romæ Deo amantissimo conservari Archiepiscopo.* Idem Concilium Chalcedonense Act. 1. 2. & 3. passim appellat D. Leonem *universalis Ecclesiæ Pontificem.*

IV. Synodus Constantinopolitana Seculo VI. ante quintam Synodum in causa Antimi congregata Act. 4. per Mennam Præsidem suum est locutum: *Nos Apostolicam Sedem sequimur, & obedimus, & ipsius communicatores, communicatores habemus, & condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus.*

V. Concilium Nicænum II. Seculo VIII. sub Hadriano I. Pont. imperantibus Constantino VI. & hujus matre Irene convocatum, probavit epistolam Hadriani ad Tharasium Coustantinopolitanum Patriarcham exaratam, in qua hæc leguntur: *cujus sedes per totum terrarum orbem Primatum obtinens lucet, omniumque Ecclesiarum Dei caput existit, unde & ipse B. Petrus Apostolus Dei jussu Ecclesiam pascens, nihil omnino prætermisit, sed ubique principatum obtinuit & obtinet &c.*

VI. Concilium Lateranense IV. Seculo XIII. sub Innocentio III. Pont. & Friderico II. congregatum can. 5. ita sonat: *Romana Ecclesia disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote Mater universorum Christi fidelium & Magistra.*

VII. Concilium Lugdunense II. Seculo XIII. sub Gregorio X. imperante Rudolpho Habspurgico habitum lib. 6. titul. de Electione cap. ubi periculum &c. vocavit Pontificem Rom. *Vicarium Christi, Successorem Petri, Rectorem universalis Ecclesiæ.*

VIII. Concilium Florentinum Secul. XV. sub Eugenio IV. imperantibus Alberto II. & Friderico III. institutum hæc statuit: *definimus, sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiúsque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.*

Præ-

Prætermissis loco hoc Conciliis aliis de Primatu Romani Pontificis idem asserentibus, octo duntaxat sunt allata, quoniam hæc & à Græcis & à Lutheranis pluris æstimantur, quàm illa. Lubuit itaque hoc etiam loco servire si non Græcis, saltem Lutheranis, ut argumenta sint ad hominem.

REFLEXIO IV.

AUdiamus, aut legamus nunc Patrum antiquissimorum Græcorum, & Latinorum de Primatu D. Petri sententias, quorum tempora ut ritè teneat Historicus, annum simul nativitatis, & mortis addere libuit; nam & talia cognovisse crebrò profuit & placuit.

SENTENTIÆ GRÆCORUM PATRUM DE PRIMATU ROMANI PONTIFICIS.

I. D. Ignatius M. Antiochiæ Episcopus, uti multorum est opinio, circa annum Christi 26. natus, Romæ Martyrium sustinuit an. 108. Is in epist. ad Rom. scripta sic habet: *Ignatius Ecclesiæ sanctificatæ, quæ præsidet in regione Romanorum.*

II. D. Irenæus Smyrnæ Seculo II. natus, inde creatus Episcopus Lugdunensis, & tandem an. 201. inter Christi athlethas numeratus lib. 3. cap. 3. inquit: *Ad hanc enim Ecclesiam* (Romanam) *propter potentiorem principalitatem, necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos,* qui sunt undique fideles, *in qua semper ab his, qui sunt undique fideles, conservata est, quæ ab Apostolis est traditio.*

III. Origenes S. Leonidis M. filius Alexandriæ in Ægypto circa annum Christi 190. natus, an. 257. mortuus, cap. 6. ad Rom. scripsit: *Petro cùm summa rerum de pascendis ovibus traderetur, & super ipsum, veluti super terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi caritatis exigitur.*

Idem Homil. 5. in Exod. *Vide magno illi Ecclesiæ Fundamento & petræ solidissimæ, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur à Domino: modicæ fidei, quare dubitâsti?*

IV. D. Athanaſius Alexandriæ Patriarcha, & 46. annorum Epiſcopus, natus ad finem Seculi III. mortuus an. 371. in epiſtola ad Felicem Pont. exarata ita ait: *ob id vos prædeceſſoréſque veſtros, Apoſtolicos videlicet Præſules, in ſumitatis arce conſtituit, omniúmque Eccleſiarum curam habere præcepit, ut nobis ſuccurratis. &c.*

Idem in ead. epiſtol. *Tu es Petrus, & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ, id eſt Epiſcopi, ſunt confirmatæ &c.*

V. D. Epiphanius natus circa annum 304. mortuus an. 402. in Ancorato ſcripſit: *Dominus conſtituit Petrum primum Apoſtolorum petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt.*

VI. D. Cyrillus Hieroſolymitanus Patriarcha, natus circa an. 312. mort. 386. lib. 2. c. 2. in Joan. ita dixit: *Nec Simon fore jam nomen illi, ſed Petrus prædicit, vocabulo ipſo commodè ſignificans, quòd in eo tanquam in petra lapidéque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.*

VII. D. Baſilius M. Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus Gregorii Niſſeni, & D. Petri Epiſcopi Sebaſteni frater, natus an. 328. mortuus 379. lib. 2. in Eunom. inquit: *Petrus propter fidei excellentiam Eccleſiæ ædificationem in ſe ſuſcepit.*

Idem in epiſtol. 52. ad Athanaſium hæc exaravit: *viſum eſt conſentaneum ſcribere ad Epiſcopum Romanum, ut videat res noſtras, & judicii ſui decretum interponat. &c.*

VIII. D. Gregorius Nazianzenus in Cappadocia, an. 324. natus, 389. mortuus, in oratione de moderatione ſervanda in Diſputationibus ſic loquitur: *Petrus petra vocatur, atque Eccleſiæ fundamenta fidei ſuæ credita habet.*

Idem in carmine de vita ſua dicit: *Romanam Eccleſiam ſemper conſervâſſe veram de Deo ſententiam, ut decet urbem, quæ toti orbi præſidet.*

IX. D. Joannes Chryſoſtomus Antiochiæ circa annum 354. natus 407. mortuus. Homil. 55. in Matth. ſic habet: *Dominus ſic ait, tu es Petrus, & ego ſuper te ædificabo Eccleſiam meam.*

Idem homil. 4. in caput 6. Iſaiæ: *Quid autem Petrus baſis Eccleſiæ: ille vehemens amator Chriſti, ille ſermone indoctus, & Rhetorum victor ille imperitus, qui tamen Philoſophis obturavit os, ille qui græcanicam ſapientiam non aliter, quàm aranearum telam diſſolvit, ille qui ſagenam miſit in mare, & piſcatus eſt orbem.*

X. Theo-

X. Theodoretus Cyri in Syria Episcopus 800. minorum Ecclesiarnm Præses, natus ad finem Seculi IV. mortuus circa annum 470. in epistola ad Leonem Pont. missa hæc habet: *Ego Apostolicæ vestræ Sedis exspecto sententiam, & supplico, & obsecro vestram sanctitatem, ut mihi opem ferat, justum vestrum, & rectum appellanti judicium, & jubeat ad vos accurrere, & ostendere meam doctrinam vestigia Apostolica sequentem.*

Idem in epist. ad Renatum Presbyterum Romanum: *spoliârunt me Sacerdotio, ejeceruntque ex civitatibus, neque ætatem in religione exactam, neque canitiem reveriti. Quamobrem te precor, ut Sanctissimo Archiepiscopo Leoni persuadeas, ut Apostolica utatur authoritate, jubeátque ad vestrum Concilium adire: tenet enim sancta ista Sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum.*

SENTENTIÆ LATINORUM PATRUM DE PRIMATU ROMANI PONTIFICIS.

I. D. Cyprianus Episcopus Carthaginensis natus Cathagine circa annum 200. capite plexus an. 258. lib. 1. epist. 8. ad plebem universam scripsit: *Deus unus est, Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut Sacerdotium novum fieri, præter unum altare & unum Sacerdotium non potest, quisquis alibi collegerit, spargit.*

Idem similia contra Novatianos D. Cornelio Romano Pontifici repugnantes attulit.

II. D. Optatus Episcopus Milevitanus in Africa natus circa an. 310. mortuus 380. lib. contra Parmenian. quinque Ecclesiæ Catholicæ enumerat dotes, ac primam harum dicit esse unicam & singularem Petri Cathedram, in qua ab omnibus servari oporteat unitatem. Eam verò singularem Cathedram non solùm Petri, sed etiam Successorum esse ostendit, enumerans Romanos Pontifices usque ad D. Syricium. Tandem his verbis claudit sententiam: *igitur de dotibus supra dictis cathedra est prima, quam probavimus per Petrum nostrum esse.*

III. D. Hieronymus Presbyter Card. Stridone in Dalmatia natus an. 329. mortuus an. 420. in epist. ad Damasum de no-

mine Hypostasis sequentia addidit: *quanquam me terreat tui magnitudo, invitat tamen humanitas, à pastore præsidium orbis peto. Cum Successore piscatoris & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior. Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est: si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.*

IV. D. Ambrosius natus vel Treviris, vel Arelati an. 333. mortuus 397. in cap. 3. epist. D. Pauli ad Timotheum ita habet: *cùm totus mundus Dei sit, tamen domum ejus Ecclesia dicitur, cujus hodie rector est Damasus.*

Idem in oratione contra Satyrum: *percunctatus Episcopum est, si cum Episcopis Catholicis, hoc est, si cum Romana Ecclesia conveniret.*

V. D. Augustinus Tagastæ in Numidia Africana natus an. 354. mortuus 430. in epistola 162. ita fatetur: *in Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.*

Idem epist. 92. Ad Innocentium I. Pont. *quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in Sede Apostolica collocavit, talemque nostris temporibus præstitit, ut nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerimus, quam ea tu possis, vel fastidiosè, vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam quæsumus, adhibere digneris.*

Idem lib. 1. ad Bonifacium cap. 1. *Non dedignaris, qui non alta sapis, quamvis altiùs præsideas.* Et inferiùs: *Communis est omnibus nobis, qui fungimur Episcopatûs officio, quamvis ipse in eo praemineas celsiore fastigio speculæ pastoralis.*

VI. D. Prosper in Aquitania circa annum 400. natus an. 455. mortuus Episcopus Regiensis lib. de ingratis ita cecinit:

Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis.
Religione tenet.

Idem lib. 2. de vocatione gentium c. 6. *Roma per Sacerdotii Principatum amplior facta est arce Religionis, quàm solio potestatis.*

VII. D. Hilarius Arelati an. 401. natus, & ibidem postea Episcopus an. 449. mortuus lib. 6. de Trinitate ait: *super hanc confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est.*

Idem

Idem: *hæc fides Ecclesiæ est fundamentum, per hanc fidem infirmæ adversùs eam sunt portæ inferorum: hæc fides regni cœlestis habet claves &c.*

VIII. D. Victor Uticensis in Africa circa annum 420. natus, ad finem Seculi V. mortuus, lib. 2. de persecutione Vandalica Ecclesiam Romanam appellavit *Caput omnium Ecclesiarum.*

IX. D. Gregorius M. circa annum 540. Romæ natus, an. 604. mortuus, lib. 2. epistol. 37. ad natalem hunc in modum scripsit: *postquam ad beatitudinem vestram, & decoris mei, & mea in causa Honorati Archidiaconi scripta directa sunt, tunc contempta utriusque sententia præfatus Honoratus proprio gradu privatus est. Quodsi quilibet ex quatuor Patriarchis fecisset, sine gravissimo scandalo tanta contumacia transire nullo modo potuisset.*

Idem lib. 4. epist. 56. ad Episcopos: *Pallium Joanni fratri nostro Corinthiorum Episcopo nos transmisisse cognoscite: cui vos magnopere convenit obedire.*

Idem lib. 7. epist. 63. ad Joannem Episcopum Syracusanum: *nam de Constantinopolitana Ecclesia, quis eam dubitet Apostolicæ Sedi esse subjectam? quod & Dominus piissimus Imperator, & frater noster Eusebius ejusdem civitatis assiduè profitetur.*

X. Ven. Beda in Anglia an. 672. natus an. 776. teste C. Baronio mortuus lib. 2. Histor. gentis Anglorum c. 1. *cùm primum* (Gregorius) *in toto orbe gereret Pontificatum, & conversis jamdudum ad fidem veritatis esset prælatus Ecclesiis, nostram gentem eatenus idolis mancipatam Christi fecit Ecclesiam.*

SENTENTIÆ ROMANORUM IMPERATORUM DE PRIMATU ROMANI PONTIFICIS.

I. Constantinus M. Seculi IV. Imperator potentissimus, hoc maximè modo conclusit: *Romæ Principatum Sacerdotum & Religionis Caput ab Imperatore cœlesti constitutum esse. Vide Acta Concilii Nicæni.*

II. Valentinianus III. Seculi V. Imp. in epist. ad Theodosium II. Orientis Imperatorem data, quæ habetur in Concilio Chalcedonensi, hoc modo scripsit: *debemus dignitatem propriæ venerationis B. Apostolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare, quatenus Beatissimus Romanæ civitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotis super omnes antiquitates contulit, locum habeat de fide & Sacerdotibus judicandi.*

III. Juſtinianus I. Imp. Novell. 131. 15. Calend. Aprilis an. 541. edita, cùm de quatuor Synodis Oecumenicis quædam ſervanda decreviſſet, earundem *dogmata ſicut ſacras Scripturas* accipi debere, & *regulas ſicut leges obſervari præcepit.* Mox de Sede Conſtantinopolitana addidit, *ut primum locum poſt Romanam teneret. Vid. Spondan. in Compend. C. Baronii, aut ipſum Baronium an.* 541.

Idem in epiſtol. ad D. Joannem II. Pont. data, quæ habetur in Codice tit. primo; *Nec enim patimur quidquam, quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quod non etiam veſtræ innoteſcat Sanctitati, quæ Caput eſt omnium ſanctarum Eccleſiarum.*

Propoſitis hoc ordine teſtimoniis Romanorum Pontificum, Conciliorum, Patrum Græcorum & Latinorum, nec non quorumpiam Imperatorum teſtimoniis ſanè validiſſimis, & maximam partem clariſſimis, tam pauca, tam parva objecerunt Orthodoxis Calviniani & Lutherani Scriptores, ut nec pilum de Fidei noſtræ firmitate adimere, minùs longè fidem mereri ipſi, utì dicimus, *probabilem* tantùm poſſint vel argumentis, vel reſponſis ſuis quibuscunque: verba enim eorundem ex S. Codice, Pontificibus, Conciliis, vel unde unde demum quæſita, & haud ſemel duntaxat truncata, ſunt neutiquam claritate ſua noſtris æqualia; ſunt longè aliis locorum, temporum & rerum diverſarum circumſtantiis à primævis ſuis authoribus adhibita. Ut paucis cum Theologis & Philoſophis dicam multa: non ſunt ad rem.

REFLEXIO V.

ARGUMENTUM HISTORICUM EX HÜBNERO I. PRO PRIMATU PONTIFICIS ROMANI,

EST VOCATIO, SEU MISSIO EPISCOPORUM.

QUid de Primatu D. Petri teneat, & tenendum dixerint S. Codex, Pontifices, Concilia, Patres & Imperatores,

res, intelleximus hactenus; nunc tantæ authoritati an reſpondeat Hiſtoria non Orthodoxa ſolùm, ſed & Heterodoxa, tantiſper diſpiciamus. Hübnerus & Lutherani Scriptores alii antagoniſtæ mei perpetui, in ſe ſuſceperunt laborem oppidò operoſum, non ſolùm ſcribendi Seriem Pontificum & Imperatorum Romanorum, ſed & Archiepiſcoporum juxtà & Epiſcoporum per Germaniam univerſorum. Nemo noſtrûm ſit facilè, qui non laudet operam maximopere; multi tamen ſint, imò ſunt hodie plurimi, qui quod meritò reprehendant, reperiunt facilè. Diſſenſio nimirum, diſcordia & ſcriptarum Serierum diſcrepantia, quidſi palmaris in Hübneri & Sociorum tomulis iterum iterúmque deprehenderetur, an non meritò reprehenderet Lector æquiſſimus?

Novimus ex Serie Romanorum Pontificum & Imperatorum, Hübnerum cum aſſeclis ſuis in eo totum eſſe, ut aſſerat, aſſertùmque Lectori perſuadeat, Phocam, Seculi VII. Imperatorem extitiſſe primum authorem & aſſertorem iniquiſſimum Primatus Romani ſupra Epiſcopos. Jam verò cum iisdem prioribus tomulis comparare & componere lubeat ejusdem Hübneri tomulum VII. & VIII. quos de Archiepiſcopis & Epiſcopis Germanicæ Eccleſiæ in lucem edidit. In tomulis prioribus, negat Romanis Epiſcopis jura Primatús, negat in quosvis Epiſcopos jurisdictionem; negat Petrum eſſe Authorem Epiſcoporum in orbe univerſo multorum; titulus Epiſcopi Oecumenici eſt ipſi nota characteriſtica Anti-Chriſti, Bonifacio III. Seculo primùm VII. à Phoca tyranno inſerta. Non ita pvofectò ſonant tomulus VII. & VIII. Prior enim

Pag. 638. ubi exordium ponitur Trevirenſium Hiſtoriæ, recenſet rem more Scriptorum Catholicorum de DD. Euchario, Valerio & Materno Epiſcopis à D. Petro Româ dimiſſis in Germaniam. Idem factum eodem tomul. repetit pag. 765. in Colo-

Colonienſi Hiſtoria. His ſimilia ſequuntur in cit. tomul. pag. 856. ubi orditur Leodienſis Eccleſiæ Epiſcoporum Seriem.

Pag. 416. exordium faciens Epiſcopis compendio dandis Vindoniſſæ ſeu Conſtantiæ, non audet negare, D. Beatum S. Petri diſcipulum Epiſcopatui poſuiſſe fundamentum Vindoniſſæ novo.

Pag. 463. refert D. Petrum ipſiſſimum veniſſe Curiam, & initium feciſſe ibidem Epiſcopatui: an ipſemet verò Curiæ Epiſcopum egerit, & D. Lucium Succeſſorem conſtituerit, liquidum nondum eſſe.

Pag. 647. fatetur, D. Agritium natione Græcum Epiſcopum, aut fortè etiam Antiochiæ aliquo tempore Patriarcham, rogante D. Helena Imperatrice Trevirenſibus à D. Sylveſtro an. 327. conſtitutum fuiſſe Archiepiſcoporum Treviris omnium primum. Argumenti loco addidit hoc dyſtichon:

Accipe primatum poſt Alpes Trevir ubique,
Quem tibi Roma, nova lege dat & veteri.

Unde proſecuturus Hiſtoriam eandem dicit: nos inſiſtamus *traditioni antiquæ*, qua accepimus, D. Agritium Trevirorum fuiſſe Archiepiſcoporum omnium primum.

Pag. 713. confitetur, D. Clementem ob traditionis perpetuæ Argumentum Metenſis Eccleſiæ primum eſſe dicendum Epiſcopum jam Seculo I. conſtitutum à nemine alio, quàm, ſi fides ſit habenda diverſis authoribus, ab Apoſtolorum Principe Petro haud ſecus, quàm ab eodem miſſi conſtituti ſunt DD. Eucharius, Valerius & Maternus.

p. 735. refert aſſeri, D. Manſuetum Tullenſi Eccleſiæ Secul. I. à D. Petro datum eſſe Epiſcopum.

Tomul. VIII. dubitat, an D. Laurentius (diverſus longè à D. Laurentio Diacono) Archiepiſcopatum Laureacenſem, Salisburgum dein translatum, inchoaverit Secul. I. mittente D. Petro, an D. Marco.

Pag.

Pag. 10. ait, D. Maximilianum Laureacenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopum circa annum 250. ut Decii Imperatoris perſecutionem declinaret, fugiſſe Romam; verùm à D. Sixto II. Rom. Pont. remiſſum in Germaniam rediiſſe, tametſi inter Martyres ſe ociùs numerandum apprime ſciret.

Pag. 13. affirmat, Theodorum I. Laureacenſem ſeu Salisburgenſem Archiepiſcopum à D. Symmacho Pont. Rom. Archi-Epiſcopali Pallio an. 499. eſſe donatum. Quibus verbis addere Hübnero libuit: ex hac donatione ſequi neutiquam, Theodoro Laureaci non præceſſiſſe Archiepiſcopos pridem inſtitutos.

Pag. 14. haud diffitetur; Philonem Theodori I. Rom. Pont. authoritate conſtitutum eſſe Laureaci Archiepiſcopum, dum Paſſavio Erckenfridus à Bavariæ Principe eſt impetratus Epiſcopus. *vid. etiam pag. 15.*

Pag. 262. narrat, D. Lucanum Brixinenſem Epiſcopum circa an. 424. ob diſpenſationem contra jejunij Eccleſiaſtici legem liberiùs, quàm par eſſe dicebatur, petentibus conceſſam, evocatum Romam veniſſe, & luculento miraculo ab omni culpa immunem ſeſe eſſe commonſtrâſſe.

Pag. 344. more Catholicorum defendit, D. Linum inter LXXII. Chriſti Servatoris noſtri diſcipulos numeratum veniſſe unà cum D. Petro Romam; Româ dimiſſum in Galliam miraculis inclaruiſſe, & Viſuntinis Archiepiſcoporum ibidem omnium primum præluxiſſe teſte traditione perpetua.

Pag. 347. Scribit, D. Maximinum Seculo Chriſti III. à D. Cajo Rom. Pont. fuiſſe conſecratum & Viſuntinæ Eccleſiæ miſſum Archipræſulem. Similia recenſet pag. ſequenti de SS. Euſebio & Hilario, quorum primum à D. Miltiade, & ſecundum à D. Sylveſtro conſecratos ait Epiſcopos.

Pag. 359. S. Celidonius Viſuntinus Anſtiſtes ab Arelatenſi Epiſcopo Hilario iniquè poſtulatus appellavit an. 445. ad D. Leo-

nem I. Pontificem, cujus authoritate Sedi suæ pristinæ est restitutus.

His sanè simillima continent plura tomuli Hübneriani, ex quibus juvat colligere, Pontifici Romano in Episcopos jam assertam fuisse potestatem Seculo post Christi natales I. II. III. IV. V. VI. atque adeò ante Imperium Phocæ tyranni, qui cœpit imperare an. *602. de quo vid. Seriem Rom. Pont. & Imperat.* Liquet igitur, Hübnerum in libellis suis sibimet totum contrarium nunc adimere, nunc concedere Pontifici Primatum in Ecclesias à Romana distinctas.

Cæterùm D. Petri & Successorum Pontificum in quosvis Episcopos Orthodoxos Primatum ut ampliùs perspiciant universi, huc annectere placet Catalogum Episcopatuum multorum, quorum D. Petrus teste Historia Ecclesiastica author jam extitit. C. Baronius ad annum Christi 46. hunc in modum recenset:

Habuit à Petro institutos Episcopos Sicilia Pancratium, Marcianum, Berillum & Philippum; Capua Priscum; Neapolis Asprem; Terracina Epaphroditum; Æquicola Marcum, alium tamen ab Evangelista; Ptolomæum Nepe; Romulum Fesulæ; Paulinum Luca; Ravenna Apollinarem; Verona Euprepium; Patavium Prosdocimum; Ticenum Syrum; Aquileia post Marcum Hermagoram; in Galliis Lemovicenses; Tholosani & Burdegalenses Martialem; Tungrenses, Colonienses & Trevirenses Maternum, nec non Valerianum; Rhemenses Sixtum; Arelatenses Trophimum; Senonenses Subinianum; Cenomanenses Julianum; Vienna & Moguntia Crescentem; Catalunum Galliæ Memmium; Bituricenses Ursinum; Avernenses Austremonium; Sanctonenses Eutropium; Germania Eucharium, Egistum & Martianum; Hispania Torquatum, Tresiphontem, Secundum, Indaletium, Cæcilium, Hesichium, Euphratium & alios.

REFLEXIO VI.

ARGUMENTUM HISTORICUM II. EX HÜBNERO PRO PRIMATU ROM. PONTIFICIS, EST NUMERUS EPISCOPORUM DIVORUM.

FUndamentum seu Petram Ecclesiæ Germanicæ ob oculos posuerunt nobis superiùs dicta; nunc quales quantæque co-

columnæ huic Petræ variis sint innixæ Seculis, ampliùs considerabimus, Hübnero, ut ita agamus, nos contra se propemodum invitante: quippe si tomulos ejusdem Scriptoris VII. & VIII. de Archiepiscopis & Episcopis Germanicis inscriptum denuo ritè inspicicimus, occurrunt nobis Antistites numero plurimi, doctrinâ præstantissimi, virtutibus instructissimi, sanctitate morum plurimùm conspicui, miraculis clarissimi.

In Serie namque Archipræsulum Moguntinorum numerat ipse Hübner Antistites Sanctorum nomine & radiis insignitos plures quàm 20. nimirum.

SECULO I.

D. Crescentem.

SECULO II.

D. Martinum I.

D. Crescentium.

D. Cyriacum.

D. Hilarium.

D. Martinum II.

D. Celsum.

D. Lucium.

SECULO III.

D. Gothardum.

D. Sophronium.

D. Herigerum.

D. Rutherum.

D. Avitum.

D. Ignatium.

D. Dionysium.

SECULO IV.

D. Ruthbertum.

D. Adelardum.

D. Lucium Annæum.

D. Maximum.

SECULO V.

D. Aureum.

SECULO VIII.

D. Bonifacium.

NB. Oportuisset Hübnerum non paucos alios in Divorum numerum relatos addere, uti ex Serie Moguntina apparet.

In Serie Archiepiscoporum Trevirensium numerat Hübnerus 8. nimirum

SECULO I.	SECULO IV.
S. Eucharium.	S. Agritium.
S. Valerium.	S. Maximinum.
S. Maternum.	S. Paulinum.
SECULO II.	SECULO V.
S. Auspicium.	S. Leontium.

NB. Decuisset profectò facilè XV. alios adjungere teste Archipræsulum Trevirensium Serie ab Authoribus nostris superiùs relata.

In Serie Archiepiscoporum Coloniensium affert Hübnerus, solùm duos à D. Materno diversos, scilicet S. Paulinum Seculi II. & D. Heribertum Seculi X. Archiepiscopum. At enimvero iniquissimus est Coloniensium Archipræsulum censor Hübnerus, omittens multos Sanctitatis glorioso nomine ab universa Ecclesia constanter insignitos. *Vid. Seriem nostram.*

In Serie Salisburgensium Archiepiscoporum refert tantùm 5. nempe D. Quirinum Seculo IV. D. Rupertum Secul. VII. eod. Secul. D. Vitalem Secul. VIII. D. Virgilium Secul. XI. D. Thiemonem. Sed & in Salisburgenses nimiùm iniquus est Scriptor Hübnerus, quòd in Divorum album plures non numeret. *Vide Historiam Salisburgensem utriusque P. Mezger.*

In Serie Visuntina enumerat 20. videlicet

SECULO I.	SECULO IV.
D. Linum.	D. Paulinum.
SECULO III.	D. Eusebium.
D. Maximinum.	D. Hilarium.

D. Pan-

D. Pancratium.
D. Justum.
D. Anianum.
D. Germanum.
D. Antidium.

SECULO V. & VI.

D. Leontium.
D. Celidonium.
D. Nicetium.
D. Protadium.

SECULO VII.

D. Donatum.
D. Migetium.
D. Ternatium.
D. Gervasium.

SECULO VIII.

D. Gedeonem.

SECULO XI.

D. Hugonem.

In Serie Bambergensi 1. scil. S. Ottonem natum Comitem Andecensem.

In Serie Herbipolensi 3. SS. Burchardum, Arnonem & Brunonem.

In Serie Eustadiana 1. S. Wilibaldum.

In Serie Wormatiensi 2. SS. Amandum II. & Burchardũ.

In Serie Argentoratensi 7. SS. Amandum, Arbogastum, Florentium, Justum, Maximum, Valentium, Solarium.

In Serie Augustana 3. SS. Zosimum, Simpertum & Udalricum.

In Serie Constantiensi 5. SS. Beatum, Paternum, Maximum I. & Maximum II. cum Conrado.

In Serie Curiensi 1. S. Asimonem.

In Serie Hildesiensi 2. SS. Bernvvardum & Gothardũ.

In Serie Verdensi 4. SS. Suibertum, Pattonem, Tanconem & Adelvvardum.

In Serie Metensi 1. S. Clementem.

In Serie Leodiensi 3. SS. Maternum, Servatium & Lambertum.

In Serie Frisingensi 1. S. Corbinianum.

In Serie Ratisbonenſi 6. SS. Lupum, Rupertum, Emmeramum, Erhardum, Garibaldum & Wolffgangum.

In Serie Brixinenſi 4. SS. Caſſianum, Ingevinum, Conſtantium, Albuinum.

In Serie Tridentina 1. S. Vigilium.

In Serie Baſileenſi 1. S. Pantalum.

En copioſum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, natione vel habitatione Germanorum duntaxat numerum, non ex Hiſtorico Romano, ſed Heterodoxo collectum, cui multos alios annumerant C. Baronius, Serarius, Brovverus aliique Authores Catholici, præcipuè verò ſingularum Diœceſium Breviaria propria. Fingamus tamen, tot ſolùm virtutum lucidiſſimarum radiis fulſiſſe, quot numeravit Hübnerus, evincunt iidem nihilominus contra Lutheranam aliámque à Romana diverſam Eccleſiam quamvis, non niſi Romanam eſſe Superis pretioſiſſimam: Epiſcopi namque hi ſanctiſſimi non niſi Romano Pontifici dixerunt ſacramentum; non niſi Romanam didicerunt & docuerunt doctrinam; non niſi in Romana Eccleſia virtutibus ſe & alios exornârunt; non niſi in Romanæ Eccleſiæ, veluti in matris gremio univerſi ac ſinguli diem mortis obiêrunt, plurimis eorundem Martyrum laureolâ coronatis.

REFLEXIO VII.

ARGUMENTUM HISTORICUM III. EX HÜBNERO PRO PRIMATU ROM. PONT. SUNT MULTIPLICIA EPISCOPORUM MIRACULA.

§. I.

Cùm providentiſſimus Servator Chriſtus & hæreſiarchas & ſectarios venturos præ videret, multis modis vitare eos nos monuit, & cognoſcendos dedit Mattth. 7.

Atten-

Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoscetis eos. Marci etiam 16. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. &c.*

His aliisque miraculis proditi sunt Pseudo-doctores varii tum Veteri, tum Novo Testamento notissimi. His item aliisque miraculis docemur intelligere signa, fructus seu opera, ex quibus licet colligere, num quis inter Prophetas, an pseudo-prophetas, an inter Doctores, an pseudo-doctores sit collocandus. Probata nimirum opera & miracula nunc in Prophetis, nunc in Apostolis, nunc in Doctoribus simul conjuncta, ostenderunt orbi universo Veteris & Novi Testamenti integritatem. Jam verò similia opera & miracula in Archiepiscopis & Episcopis nostris Germanicis, si ostenderit nobis ipsemet Hübnerus, promptissimum nobis erit dicere, quin altùm exclamare: profectò Præsules hi Germani numerati & numerandi sunt, vel inter Prophetas, vel Apostolos, vel Doctores Christi, Ecclesiæ constanter integræ testes integerrimi, constantissimi.

Colligamus igitur ex multis Hübneri paginis ejusdem mentem de operibus & miraculis Archipræsulum Moguntiæ, Trevirorum, Coloniæ, sed & aliorum saltem paucorum partim Archiepiscoporum, partim Episcoporum: nam omnes aut omnium opera egregia atque miracula recensere, esset ingens volumen implere.

§. 2.

IN SERIE MOGUNTINA.

Pag. 14. narrat Hübnerus, D. Aureum & hujus sororem D. Justinam an. 451. ab Hunnis in puteum præcipitatos esse eo Superum beneficio, ut eorundem cadavera post 300. annos imperante Carolo M. nulla sui parte læsa fuerint inventa.

Pag.

Pag. 23. D. Bonifacius Chriſti doctrinam explanans inter avidos auditores miratur diverſas volucres. Idem Oræ fluvii ripæ inſidens, cùm cibo neceſſario foret deſtitutus, piſcem volucris miniſterio datam accipit. D. Bonifacii tentorium etiam integris noctibus fuit illuſtratum clariſſimis radiis. His multisque aliis D. Archipræſul claruit miraculis.

Pag. 27. D. Bonifacius latronibus vim inferentibus vim nullam intulit, & ab aliis inferri prohibuit: ferales ictus Bibliorum libro & ſacris reliquiis duntaxat impediit: unde evenit, ut tametſi liber hic ſacerrimus gladio perfoderetur, nullus tamen apex aut litera læderetur.

Pag. 28. Cùm D. Bonifacii cadaver Moguntiam Ultrajecto transferendum, pertinaciter negarent concedere cives ultrajectenſes, cives verò Moguntini ardentiùs deſiderarent, campanæ cœleſti virtuti motæ, abeunti cadaveri applauſerunt, obſtupeſcente, & palmam cedente Ultrajecto Moguntiæ.

Pag. 34. Cùm anno 873. Carolus Craſſus à Cacodæmone eſſet obſeſſus, & omnes in partes tanto impetu fuiſſet raptus, ut eidem ſuſtinendo ſex viri fortiſſimi impares forent; maximo tamen huic malo remedium attulit Lindbertus Archiepiſcopus, pulſo infernali hoſpite.

Pag. 45. eùm mater Willegiſii primi Electoris Moguntini uterum ferret, viſa eſt ſibi per ſomnium haudquaquam inane parere orbi Phœbum clariſſimum, qui profectò fuit Willegiſius.

Pag. 48. Bardo Archiepiſcopus Moguntinus tanti fuit æſtimatus, ut paſſim alterum Chriſoſtomum, dixerint. Idem Padebornæ an. 1051. diebus Pentecoſtes præſente Henrico III. Imperatore dixit, ùt aliàs ferventiſſimè, ubi prædixit diem mortis ſuæ, quæ fuit dies Lunæ proxima.

§. 3.

§. 3.

IN SERIE TREVIRENSI.

Pag. 654. D. Nicetius Archiepiscopus muneri suo sese accingens, humeris suis gravissimum onus modo penitus insolito sensit imponi, quod tamen continuò secutus est cœlestis odor; unde confessus est idem, gravissimum equidem sibi fore Archipræsulis munus, nnnquam tamen defuturum sibi hocce in munere solatium cœleste.

Idem à sceleratis Sede sua expulsus vates prædixit diem restitutionis suæ. Alia multa nuntiavit, quæ eventus comprobavit.

Pag. 658. Magnericus Archiepiscopus & Gregorius Turonensis Episcopus Reliquiis S. Martini servati sunt à naufragio.

Pag. 662. Normannis Treviros vastantibus, inter miracula alia D. Paulini Atchiepiscopi cadaver sarcophago inclusum, atque in aere pendulum, rescissis etiam ab hoste catenis, pendere non cessavit.

Pag. 666. Poppo Elector, Austriæ Marchio adversùs venenum ab inimicis porrectum servatur; sceleris verò conscii intra unius anni spatium moriuntur omnes justo Dei judicio.

§. 4.

IN SERIE COLONIENSI

Describitur ab Hübnero D. Maternus bis mortuus, bis redivivus pag. 765.

Pag. 776. S. Severinus S. Martini Turonensium Episcopi animam ab Angelis in cœlum portari cœlestes inter hymnos audivit. Idem Viro Solitario virtutibus clarissimis instructo est à Superis præhabitus Dei nuntio teste.

Pag. 785. Gero creatus Archipræsul, ne diutiùs adversarium experiretur Ottonem I. Imperatorem, Deus Angelum misit monitorem & correctorem Ottoni severum.

Pag. 788. D. Heribertum primum Coloniæ Electorem cùm D. Henricus Imperator propitio non dignaretur oculo, Dei monitum adeò mutavit Imperatorem, ut ab eodem tempore ſuum dixerit in Chriſto parentem Heribertum Henricus. Cæterùm inter miracula D. Heriberti numerantur ſequentia: energumeni à dæmone liberatio. Aqua ſupra Archipræſulis hujus effuſa manus adversùs morbos fuit præſens remedium. Vinum, cui D. Heribertus digitum intingebat, uſum oculorum fœminæ reſtituit. Signo crucis ſanavit paraliticum. Precibus ſuis cœleſtem lucem latiſſimè diffuſam impetravit. D. Henrico Cæſari diem mortis prædixit. Taceo plura alia.

Pag. 789. & ſeqq. Piligrimus Coloniæ Elector ex D. Bernvvaldo Hildeſienſi Epiſcopo etiamnum puer intellexit, fore ſe Archiepiſcopum Colonienſem. Parochus dein prope Coloniam conſtitutus, D. Henrico Cæſari divinitus commendatur. Piligrimus etiam ad aram faciens intelligit ex cœleſti nuntio mortem D. Bernvvaldi, pro cujus tanquam mortui ſalute populo obſtupefacto preces addidit publicas, tametſi pro vivis ſolenni ritu celebraret.

Anno Elector Henrico III. Cæſari prædixit Imperii Coronam, Hildolpho autem Succeſſori Colonienſem Inſulam Pag. 793. & 798.

§. 5.

IN SERIE SALISBURGENSI.

Pag. 11. Seculo Chriſti III. S. Maximilianum Archiepiſcopum, ut idolum Martis effigiem referens fortiter in Pannonia impugnaret, animavit hunc in modum vox cœleſtis: *ne timeas ſerve bone, ſed ſurge & confidenter perge, ut confundas tyranni petulantiam.*

Pag. 27. cùm ſeculo VII. S. Vitalis ſepulchro immineret homo ad quidvis audendum proniſſimus, & negaret magni nominis ſepultum hic eſſe Epiſcopum; tunc repentè ex corde relicti ſacri ca-

cadaveris enatum eſt, penetrato etiam lapide ſepulchrali, lilium, Sanctitatis eximiæ teſtimonium.

Pag. 41. Hartvvicus Seculi X. Archiepiſcopus, cùm hyberno tempore proficiſceretur per vallem Pliembachenſem, decerpſit ex arbore arida fragmen aridum, quod non minùs cœpit florere, quàm virga Aaronis.

Pag. 42. Bertholdus adoleſcens literis navans operam unà cum Sociis non imparis nobilitatis Altmanno & Adalberone, cùm forte inter ſeſe quæſtionibus luderent, vel certarent, quid ſibi inter mortales optimum optarent aut eligerent, reſpondit Gebhardus, ſe optare ſibi Archiepiſcopatum Salisburgenſem; Adalbero Epiſcopatum Herbipolenſem; Altmannus verò Paſſavienſem. Potiùs ſorte divina, quàm humana eveniſſe omnia, rerum eventus monſtravit teſtibus miraculis clariſſimis; nam cùm Altmannus ab Henrico IV. Schiſmatico Cæſare plurimùm vexatus Romam veniſſet animo omni penitus dignitati & honori nuntium remittendi; nihilominus Gregorius VII. Pont. Paſſavienſem Epiſcopatum eidem denuo commiſſum diceret, columba cœleſtis in æde omnibus conſpicua inſedit humeris Altmanni, teſtis utique univerſis acceptiſſima.

Par miraculo videri etiam poterat, quòd pari tempore & animo conſtantiſſimo Henrico IV. Imperatori reſtiterint, & Eccleſiam Germanicam, à multis ſceleribus immunem magna ex parte conſervârint pari propemodum tempore mortui, nimirum Gebhardus an. 1088. Adalbero an. 1090. & Altmannus an. 1092.

Pag. 47. S. Thiemo à pſeudo-Archipræſule ſuo Bertholdo multa, ab Henrico autem IV. Imp. plura acerba paſſus, â Cæſareanis denique captus, & in præſentia multis è Salisburgenſium numero capite plexis, cùm ipſe jam jam plectendus, caput ictui ferali ſubdere pararet, ferrum occulta vi impeditum, intentato ſecundo ictu inſtar fragilis vitri diſruptum adeò commovit miniſtrum juſtitiæ, ut coràm flagitârit veniam à D. Ar-

chipræſule. Idem Archipræſul in Palæſtinam profectus, præſente Sultano Ægyptiaco pronuntiatis altè SS. Triadis nominibus imaginem dæmonis in mille diſſolvit fruſtra, ob miraculoſum hoc factum Martyr invictiſſimus paſſus an. 1101. Martyrium duriſſimum.

Pag. 52. & ſeqq. emiſſo à parentibus voto conceptus Eberhardus filius, quantus ſit futurus prodidêre ova gemina præter & ſupra morem naturæ à gallina quapiam poſita. Idem ſucceſſu temporis orationi perpetuæ intentus, cùm aliquando conſecratam hoſtiam, ùt vocamus, ægrotanti porrigeret, verùm hic eandem ſubitò ex ore cum vomitu redderet, Archiepiſcopus ſuppoſita manu utrumque excepit, & abſorbuit, teſtatus ſanctiſſimè, præ alia quavis cupedine ſapuiſſe ſibi hunc cibum cœleſtem. Requiſitus paulò poſt ab eodem Eberhardo æger, haud ampliùs eſt inventus, opinantibus inde pleriſque, ægrum hunc ipſiſſimum forte fuiſſe Chriſtum Servatorem noſtrum.

Idem à dæmone hominem duriſſimum in modum tòrquente inventus eſt idoneus, qui infernali hoſpite miſerrimum mancipium liberaret; cùm reſponderet exorciſmis adactus nebulo: *nemo me pellet, niſi pater pauperum.* Cæterùm ſepulchrum hujus Archipræſulis multis inclaruit miraculis.

§. 6.

IN SERIE VISUNTINA.

Pag. 349. cùm D. Juſtus cum morte luctaretur, ex ejusdem ore beata anima inſtar candidæ columbæ ad cœlos aſcendit.

Pag. 351. S. Germanus à latronibus oppreſſus audiit vocem de cœlo delapſam, qua animatus caput ſecuri ſubdidit: percuſſa autem D. Martyris cervice terra adeò contremuit, ut collaberentur mœnia urbis Grandisfontanæ. Truncus corporis intereà ſtans erectus recepto in manus capite abiit Angelo comite, luce clara duce, ſupra collum ſedente columba cœleſti.

Pag.

Pag. 359. S. Celidonius à Theodosio II. Imp. divinitus admonito accepit brachium S. Stephani. De transmisso per longissimum viarum spatium brachio divinitus pariter edocti diem vicini in Francia Episcopi, Visuntium properârunt circa annum 444. inspecturi rem coràm. Omnibus igitur dum simul ostendit thesaurum hunc suum D. Celidonius, & particulam singulis de eodem impertire parat, copiosus mox inde effluxit sanguis, qui dispertitus abundè sufficere potuit decem Episcopis.

Pag. 362. S. Prodatius in vota vocatus imperavit aeris tempestatibus. Hujus ipsius ætate brachium D. Stephani à furibus clam ablatum, sed & inventum insignibus claruit miraculis.

Pag. 363. cùm Canonici Visuntini an. 633. in Electione novi Archiepiscopi desiderent maximopere, simúlque flexis genibus Superos rogarent, ut quem eligerent Canonici, inspirarent: continuò vox de cœlo lapsa dictavit, eligendum esse Claudium.

Pag. 364. D. Donatus Seculo VII. sterilibus parentibus eo pacto à D. Columbano est impetratus, ut natum filium parentes Deo dicarent, quod evenit miraculi teste ipsomet *Donati* nomine.

Hactenus relata fusissimè ferè ad verbum ex Hübneri tomulis, teste paginaruui numero, describere placuit. Longè plura miracula ab Episcopis per Germaniam universam patrata desideranti dabit ipse Hübnerus in citt. tomulis VII. & VIII. utì apparebit etiam ex Reflexionibus, que sequentur. Unde denuo mecum sic reputabam: si non tot, permultis saltem miraculis cœlum propitium Episcoporum Germanorum doctrinam & virtutem confirmavit & illustravit per secula non solùm prima, sed & media, imò & ultima. Si verò inter miracula lucere non cessavit Ecclesia Germana, cur non etiam Romana, cujus se filiam constanter professa est, & hodie profitetur? Unde sequuntur Reflexiones proximæ.

REFLEXIO VIII.

ARGUMENTUM HISTORICUM IV. EX HÜBNERO PRO PRIMATU ROM. PONT. SUNT PHOCÆ IMPERATORIS TEMPORA ET CIRCUMSTANTIÆ ALIÆ.

ARgumenta hactenus propoſita etſi talia ac tanta ſint, ut ſanæ mentis homini de legitimo Petri & Succeſſorum jure vix dubium poſſint relinquere, nihilominus argumentum argumentis prioribus accedat poſterius, præcipuè petendum ab Archiepiſcopis & Epiſcopis primò per Germaniam, dein per Europam, & demum per orbem univerſum longè diverſis & diſperſis. Fingamus itaque, ante Bonifacium III. Pont. & Phocam tyrannum per ſex prima ſecula prorſus nullam fuiſſe Romanis Epiſcopis in Epiſcopos alios imperandi aut dirigendi poteſtatem. Fingamus Imperatoris hujus conjunctam vim ac potentiam extitiſſe tantam, quanto ullo unquam tempore fuit vis aut poteſtas Imperatorum vel Pontificum in cogendis ac ſubigendis Epiſcopis, Clericis ac Monachis. Hæc ſi finxerimus, & Lutheranis Scriptoribus tanquam rata habuerimus, id tamen impetrabunt minimè, quod tantopere ſibi concedi poſtulant. Si namque duo rerum capita juxtà collocemus, & ſeduló perpendamus, unum continuò ſubvertet alterum. Eadem duo capita ſint, *primum* nempe: *Romanus Pontifex à ſeculo VII. usque ad hanc noſtram ætatem in omnes omnino Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Antiſtites quorvis, Clericos & Monachos accepit poteſtatem. Caput alterum: tantam poteſtatem denique conceſſit Phocas Imperator Bonifacio III.* Utrumque mordicus defendit Hübnerus cum ſociis paſſim in ſuis tomulis, præſertim verò I. de Romanis Imperatoribus, & Tom. III. de Romanis Pontificibus. Utrumque horum capitum ferè inter fidei ſui dogmata numerant Lutherani paſſim plurimi. Jam verò an ſimul ſtare

queant, considerare hoc opus hic labor est. Ego audacter pronuntio: vel Phocas Imperator nullam concessit potestatem Romano Pontifici; vel si concessit, vanissima hæc Phocæ fuit concessio: fuerit enim, utì lubet fingere, Phocæ tyranni in Orientis Imperio vis maxima & authoritas in Episcopos etiam, quod nuspiam ostensum hactenus; hujus tamen tyranni in Occidentis Imperium prorsus nulla fuit vis unquam aut authoritas; veritatis hujus testes sunt tot, quot Occidentis & Orientis Historiam vel primis gustârunt labiis. In rei testes etiam advoco universam Germaniam, Italiam, Hispaniam, Galliam, Angliam, Daniam, Sueciam &c. Testis mihi maximus contra Hübnerum & hujus socios sit ipse Hübnerus in suis tomulis, nimirum I. tom. cujus pars magna continet Seriem Romanorum Imperatorum in Occidente per 300. annos interruptam. In tomulis reliquis communi omnium Historicorum calculo affirmat Seculis præsertim V. VI. VII. & VIII. per Europam vel erecta nova, vel certè antiqua adeò confirmata fuisse regna & Regum jura, ut Orientis Imperatores omni sua potestate exciderint, quam tamen Seculis prioribus etiam in Occidentis partes extenderunt Imperatores partim Christiani, partim gentiles. Quamvis igitur Phocas sua qualicunque imperitandi peritia per annos sui Imperii 8. totius Orientis Episcopos subjecisset Romani Pontificis *imperio*, vel si mavis *jugo*, cùm violentum non facilè sit perpetuum, omnem vel imperandi vel regnandi methodum Pontificiam adhuc novam & maximè violentam sepeliisset cum extincto Phoca mors Ecclesiæ Romanæ tunc hostibus multis jucundissima. Isthæc verò qualiscunque vis in Occidentis plagas vires suas neutiquam extendisset. Fingamus verò & istud contigisse, aut potuisse contingere, quid tunc eventurum fuisse divinamus; Repono: divinare non nisi bella gravissima licet: cùm enim non minor Seculo jam VII. potestas fuerit fixa & rata habita Archi-Episcopis & Episcopis in Germania, Italia, Hispania, Gallia, An-

Anglia &c. quàm firma fuit poteſtas Epiſcoporum in Oriente; totius Occidentis profectò Epiſcopis omnibus oblata fuiſſet ſimul occaſio peridonea reſiſtendi, quin ultro denunciandi belli *Romanæ potentiæ*, *ſuperbiæ*, *Romano tyranno*, *Anti-Chriſto*, utì honorifico ſcilicet nomine appellari crebrò legimus & audivimus invitis auribus. Quæ non facta fuiſſe cùm confiteatur, imò potiùs contrarium eveniſſe multis in paginis teſtetur usque adeò, ut abundantiſſimè conſtet Hiſtoriæ peritis omnibus, Epiſcopos natione, aut poteſtate Germanos, Italos, Hiſpanos, Gallos, Anglos &c. perrexiſſe cauſas ſuas majores Romam dirigere, Romano Pontifici ſubeſſe, ſententiam petere & latæ ſententiæ caput inclinare; certiſſimum inde nobis denuo fluit argumentum dicendi, Seculis prioribus aſſertam Romano Pontifici poteſtatem eſſe viribus humanis quidpiam majus, ipſius Divini nimirum Servatoris & Eccleſiæ Conditoris authoritarem Vicarium ſibi firmantis: vel certè aſſerendum eſt toto ore & pectore: Deus inuſitato prorſus miraculo quosvis in Occidente Epiſcopos adeò potenter movit, ut unanimi conſenſu ſeſe ſubdere non dubitârint uni Supremo in terris, eíque Romano Epiſcopo. Auſim ſanè ego ſimile miraculum inter primæ notæ miracula numerare. Profectò experientia jugis docuit, in cauſis quibuscunque onus ſecum ferentibus, item in cauſis vel damnum, vel diminutionem dominii continentibus, non ſolùm Principes Politicos, ſed æquè & crebrò ardentiùs Eccleſiaſticos certâſſe, pugnâſſe, dimicâſſe, potiùs ſanguinem fudiſſe & vitam amiſiſſe, quàm ſui ſuorúmque diminutionem inerti animo pertuliſſe. Quæ omnia aliáque plura cùm multis paginis etiam Hübnerus & ſocii aſſerant, quid hic aut horum amici denique ſint reſponſi loco allaturi in medium, avidiſſimè exſpecto.

REFLEXIO IX.

ARGUMENTUM HISTORICUM V. EX HÜBNERO PRO PRIMATU ROMANI PONTIFICIS SUNT SUPPOSITA MALE FUNDATA.

UT Lector amicus ampliùs comprehendat totius rei cardinem, qui hoc vertitur loco, compendio repetere lubet, quæ in Serie Romanorum Pontificum & Imperatorum de Bonifacio III. & Phoca Imperatore uberiùs ſunt propoſita.

Peritorum nemini obſcurum eſt, Conſtantinum M. relicta Italiæ urbe principe Conſtantinopolim erexiſſe extincto veteris urbis Byzantii nomine. An. 314. creatum eſſe Byzantii Epiſcopum ordine IV. Metrophanem nomine, teſtantur Cedrenus & Zonares, quem probi Imperatoris fratrem eorundem authorum affirmat poſterior. Hunc ipſum Byzantinum Epiſcopum Archipræſuli Heracleenſis Eccleſiæ Epiſcoporum aliorum more ea etiam ætate fuiſſe ſubditum, paſſim traditur. Poſtquam verò urbs nova Romæ ſimillima tantum nacta eſt conditorem, quantus fuit Conſtantinus M.; poſtquam Concilia in Orientis Imperii urbibus, & quidem Conſtantinopoli crebriùs fuerunt congregata; poſtquam Juſtinianus I. maximopere cœpit favere Epiſcopo Conſtantinopolitano contra Alexandrinum, & paulò poſt etiam Romanum; tunc enimvero primus, aut certè non ultimus ambitionis & Zizaniorum author multiplex identidem magìs invaluit, ut Conſtantinopolis Patriarcha non modò Alexandriæ Præſuli præſumpſerit imperare, ſed ipſius etiam Romani Pontificis Imperium vix ullo in pretio habere ampliùs, quod de Joanne cognomento Jejunatore præſertim, Seculi VI. Conſtantinopolis Patriarcha neutiquam eſt dubium.

Hæc totius controverſiæ Synopſis Auditoribus Orthodoxis eſt minimè ambigua; Scriptoribus verò Heterodoxis nimiùm vide-

videtur anceps & dura in libris de Imperatorum & Pontificum Serie inſcriptis; at in libris aliis, uti ſunt Series Archiepiſcoporum Germanicorum, vix non cum Catholicis ſentiunt ſcriptorum & dictorum ſuorum parùm memores. Argumenta autem, cur ita vacillent Scriptores iidem, ſunt varia, aut veriùs non argumenta, ſed ſuppoſita ſunt vaniſſima, quæ idcircò æquo rerum arbitro ante oculos pono, & ex Romanorum Serie repeto. Supponunt itaque

I. Imperatorum neminem ante Phocam in animum induxiſſe ſuum, ut crederet, Romanum Pontificem jure vocatum fuiſſe *Epiſcopum Oecumenicum*.

II. Supponunt tanquam reſponſum Delphicum, Epiſcopum Conſtantinopolitanum non minùs ſupremum Eccleſiæ caput fuiſſe inter Græcos Epiſcopos, ac fuit inter Latinos Epiſcopos Romanus Pontifex.

III. Supponunt tanquam certæ Hiſtoriæ articulum, per ſex Pontificum ac Imperatorum Secula, nec Gregorium M. nec ullum alium Romæ Antiſtitem hoc uſum fuiſſe nomine.

IV. Supponunt tanquam fidei regulam, Sexaginta primos inter Romanos Pontifices, usque ad Bonifacium III. nuſpiam exercuiſſe in univerſam Eccleſiam *ullam poteſtatem ſupremam*.

V. Supponunt cauſam hanc omnium Archiepiſcoporum & Epiſcoporum adversùs Romanum Pontificem fuiſſe omnibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis per Orientem, imò per orbem univerſum *communem, communiſſimam*.

Quàm verò infirma, vana & nullius profectò ponderis ſint imaginaria hæcce ſuppoſita omnia, lubeat obſecro ex Reflexionibus hactenus omnibus colligere; & ritè intelligere ex C. Baronio, Bellarmino. Vid. etiam Series Roman. Pont. & Imperatorum.

RE-

REFLEXIO X.

ARGUMENTUM HISTORICUM VI. PARTIM EX ORTHODOXIS, PARTIM EX HETERODOXIS AUTHORIBUS PRO PRIMATU D. PETRI, EST INSTITUTIO EPISCOPORUM PER ORBEM FERE UNIVERSUM.

DIxi paulò superius, si Seculo post Christi natales VII. universi ac singuli in orbe universo ita conspirâssent Archiepiscopi & Episcopi in unum supremum caput, Episcopum nempe Romanum, inusitato prorsus miraculo Deus totius Ecclesiæ suæ sensus & animos adeò illustrâsset, ut hæc ipsissima hactenus inaudita inspiratio, utì vocamus, instar legis & instituti divini posset accipi & propemodum adorari. Ut res clariùs tanquam pleno meridie luceat, simúlque eruditionis avidus Lector Romanæ Ecclesiæ Hierarchiam identidem ampliùs suspiciat, plerosque totius orbis Ecclesiasticos Præsules in compendio huc juvat apponere. Ansam ita rem scribendi dedit cum Sociis Hübnerus in suis tomulis de Regibus in lucem editis, in quibus sparsim Ecclesiæ Catholicæ tangit Antistites, eximio sanè Orthodoxorum omnium solatio, quod sui, *ut denuo memorem*, & dictorum suorum crebrò immemor scripserit authori suo parùm faventia, imò penitus contraria.

Patriarchatus Antiochenus omnium primus & antiquissimus instututus est ab ipso Apostolorum Principe Petro Seculo Christi I. an. 36. Numeravit Patriarcha sua sub potestate præter Sedem suam Patriarchalem per Syriam, Ciliciam, Isauriam, Mesopotamiam, Phæniciam & Arabiæ partem Sedes Metropolitanas 11. cum Episcopis minoribus - - 128.

Patriarchatus Alexandrinus Secul. I. inchoatus est. Patriarcharum omnium primus floruit D. Marcus Evangelista: pro-

ximè ſecuti ſunt DD. Dionyſius, Athanaſius, Cyrillus &c. Suberant horum poteſtati Ægyptus & univerſa Lybia, in quibus numerati ſunt Archiepiſcopi 10. cum Epiſcopis minoribus 114.

Epiſcopatus Hieroſolymitanus à S. Jacobo Minore Secul. I. cœptus, Concilii Nicæni tempore converſus eſt in Archiepiſcopatum, Primati Cæſareenſi in Palæſtina ſubditum. Tandem procurante Juſtiniano I. Imperatore Hieroſolymis Patriarcha inſtitutus per Palæſtinam, Phæniciam & Arabiam, numeravit ſua ſub poteſtate 6. Archiepiſcopos & Epiſcopos Suffraganeos 100.

Epiſcopatus Byzantinus in Patriarchatum Conſtantinopolitanum Seculo IV. converſus, & Seculo VI. tempore Conciliorum I. atque II. Conſtantinopoli celebratorum confirmatus, per Scythiam Europæam, Græciam Aſiaticam item Europæam, atque Pontum univerſum, ſub poteſtate ſua numeravit partim Primates, partim Archiepiſcopos cum Epiſcopis Suffraganeis circiter 512.

Atque hic Status fuit Eccleſiæ veteris per Europam Orientalem & Aſiam: uno ſub capite membra plurima, veluti ex Conciliis maximè apparuit. *Vide inferiùs.*

In partibus Meridionalibus Pontifici Romano tanquam Patriarchæ & Primati etiam ſuberant per univerſam Italiam, Illyricum, Africam & Hiſpaniam Archiepiſcopi omnino multi: namque Romani Pontificis tanquam *Metropolitæ immediati*, utì dicimus, poteſtati & jurisdictioni Seculo IV. & V. jure ſubjiciebantur per Latium novum ac vetus, item per Campaniam Romanam, Tuſciam, Umbriam, utrumque Picænum, Samnium, Apuliam, Calabriam, Lucaniam &c. Epiſcopi circiter 80. quorum multi ſucceſſu temporis in Archiepiſcopos ſunt converſi adeò, ut præter Romanum Pontificem, & Patriarcham Venetum per univerſam Italiam & vicinas Italiæ inſulas facilè numerati fuerint, & hodie numerentur Archiepiſcopi ultra 40. cum Epiſcopis Suffraganeis circiter 200.

Non

Non minùs subdebantur immediatæ simúlque supremæ Romani Pontificis potestati Archiepiscopus Mediolanensis, Ravennatensis, Aquilejensis, Siracusanus & Calaritanus, quibus omnibus subordinati fuerunt Episcopi plures quàm 300.

In toto Illyrico Pontifici simùlque Patriarchæ Romano post Constantini M. fata parebant partim Primates, partim Archiepiscopi 16. cum Episcopis facilè 100.

In Africa, quam in septem Ecclesiasticas provincias diviserunt, omnibus tanquam Primus præerat Episcopus Carthaginensis: in ipsas verò provincias septem sunt divisi Episcopi omnino multi; in provincia nimirum Proconsulari numerati fuerunt aliquando Episcopi - - - - - 105.

In provincia Numidiæ - - - 142.

In provincia Bizacena - - - 128.

In provincia Mauritaniæ Cæsareensis & Tingitanæ 135.

In provincia Mauritaniæ Sitifensis - - 47.

In provincia Tripolitana - - - - 12.

In provinciis reliquis numerârunt facilè - 100.

Atque adeò florente per Africam quondam doctrina Christiana numerati sunt Episcopi minimùm 500. in septem classes distincti ea methodo, ut cuilibet classi suus præsideret Præses, dictus Senior Episcopus, servata altiori potestate Carthaginensi Primati, & altissima Romano Pontifici.

In Hispania duo Primates & plures Archiepiscopi jam seculis V. VI. & VII. præerant Episcopis 80.

In provincia nimirum Bætica alter sedebat Primas, cui Sedes Hispalis; alter verò in provincia Carthaginensi Toleti figebat Sedem. Archiepiscopi fuerunt Tarraconensis, Lusitanus & alii duo in Gallæcia distincti.

In partibus Occidentis Ecclesiæ status sequenti venit ordine.

In Gallia constituti duo Primates & Archiepiscopi 13.

Primatum alter fuit Archiepiſcopus Bituricenſis in Aquitania; alter Archiepiſcopus Arelatenſis in regno Arelatenſi &c.

Archiepiſcopi alii his ſunt diſtincti nominibus; Sextiæ I. Archiepiſcopus Tarentaſienſis. II. Narbonenſis. III. Narbonenſis alter Aquæ Sextiæ ſedem figens. IV. Ebredunenſis. X. Burdigalenſis. VI. Auguſtanus Auſciorum. VII. Lugdunenſis. VIII. Rothomagenſis. IX. Turonenſis. X. Senonenſis. XI. Viſuntinus. XII. Rhemenſis. XIII. Trevirenſis. Viſuntinus tamen & Trevirenſus temporis ſucceſſu inter Germanicos Archiepiſcopatus ſunt celebrati. Quibus omnibus obedientiam exhibuerunt Epiſcopi ultra 100.

In Belgio primis poſt natum Redemptorem Seculis authoritate Pontificia introducti Epiſcopatus, converſi demum in Archiepiſcopatus 1. Cameracenſis cum Suffragenſis 4. 2. Mechlienſis cum Suffrag. *6.* 3. Ultra jectenſ. cum Suffrag. 5.

In Magna Britannia ſimúlque Scotia & Hibernia Primates duo cum Archiepiſcopis *6.* inter minores Epiſcopos circiter *60.* eminuerunt ſcilicet.

I. Primas Britanniæ Meridionalis dictus eſt Archiepiſcopus Cantionum, ſeu Dorovernenſis, dein verò Cantuarienſis.

II. Archiepiſcopus Londinenſis. III. Carleonenſis. IV. Eboracenſis. V. S. Andreæ. VI. In Scotia Glaſcenſis. VII. In Hibernia Primas Armachanus. VIII. Archiep. Dublinenſis & Tuamenſis.

Jam verò in Imperio Germanico & vicinis eidem regnis Apoſtolica authoritate ſunt conſtituti Archiepiſcopi Moguntiæ, Treviris, Coloniæ, Laureaci; dein Salisburgi & Viſuntii cum Epiſcopis Suffraganeis talibus ac tantis, ut horum authoritas & poteſtas ampliſſimæ Archiepiſcoporum multorum poteſtati æquiparari aut anteferri queat. De Archiepiſcopatibus his dictum abundè ſatis ſuperiùs; id ſolùm non pigebit fortè Lectorem intelligere, quinam Archiepiſcopatus & Epiſcopatus novi antiquis

quis accesserint in Occidentis Imperio & partibus Septentrioni propinquis.

Seculo itaque VII. à D. Benedicto II. Pont. Rom. missum venisse in Franciam Orientalem D. Kilianum cum Sociis Colonato & Theodnano natione Scotis testatur unà cum Historicis Orthodoxis Hübnerus etiam tomul. VII. pag. 155. An verò D. Kilianus unà cùm Sociis vocati sint jure Franconiæ Episcopi primi, parùm interest ligitare. Legatos venisse Româ Episcopali potestate munitos, abundè certum est Historicis. Post extinctum crudelissima morte Kilianum successit ab Urbe missus D. Bonifacius Moguntiæ Archiepiscopus, author & restaurator simul Episcopatuum Seculo VIII. in Francia Orientali & aliis in provinciis plurium.

Eodem Seculo VIII. Caroli M. Imperatoris adjutoriô potentissimô animatos Apostolos, varios annuente Pontifice fundamenta jecisse Episcopatibus per universam Saxoniam & confines provincias diversis, nôrunt Authores Orthodoxi & fatentur Heterodoxi. Eosdem inter Apostolos celeberrimum nomen obtinuerunt D. Stephanus Magdeburgensium, D. Wilehadius verò Bremensium Doctores, quibus inter imitatores accesserunt DD. Herimbertus & Wilehadius.

Seculo IX. D. Ludgerus Herimberto ultrò concessit Mindensem Infulam; Nuitgardus Bremæ, Hermarius Paderbornæ, S. Suibertus Verdæ sederunt Episcopi: S. Ansgarius verò Archiepiscopus omnium primus S. Remberto cessit Bremensem simul & Hamburgensem Mitram, ut abire liceret in provincias Septentrioni proximiores, ad lucrandum Deo animas.

Seculo X. Imperatore Ottone M. desiderante, & Joan. XIII. Pontifice concedente, Archiepiscopali Pallio Magdeburgi exornatus D. Adelbertus, partim sibi præmisit, partim post se traxit Episcopos diversos in Borealibus regnis instar clarissimorum Siderum exortos:

Merse-

Merseburgi namque an. 968. prælucere cœpit Episcoporum primus B. Boso in S. Emerami monasterio Ratisbonæ celeberrimo quondam Monachus.

Havelbergæ annis prioribus B. Udo primus constitutus est Episcopus.

Lubecæ, Schlevici & Oldenburgi triplicis instar Episcopi circa idem tempus sedere cœpit B. Marcus, quondam Ottoni I. à consiliis.

Lebusii an. 695. B. Stephanus instituit Episcopatum, creatus ipse Episcoporum ibidem primus.

Naumburgi Episcoporum omnium primus circa annum 699. doctrinam Christianam explicavit B. Hugo.

Misniæ Episcopus primus eodem ferè cœpit tempore fulgere B. Burchardus ex monasterio S. Emerami Ratisbonæ evocatus.

Brandeburgi eadem ætate B. Dulim primus confirmatus est Episcopus.

Eodem Seculo X. suadente Ottone M. Haraldus VIII. Danorum Rex laudante Pontifice erexit Episcopatum Sclesvvicensem in Ducatu ejusdem nominis; Archusiensem & Ripensem in Juthia; Odeensem in Fionia.

Seculo XI. an. 1012. adjectus est Episcopatus Roschildensis in Seelandia.

An. 1065. ex liberalitate Suenonis III. Danorum Regis accesserunt novi Episcopatus quatuor, nimirum Lundensis, conversus deinde in Archiepiscopatum in Sconia, in qua simul erectus Dalbyensis, Wiburgensis verò & Alburgensis in Juthia.

In Sueciam Doctore D. Ansgario Christi Dogmata illata jecerunt fundamentum Episcopatibus successu temporis omnino variis, præsertim verò Upsalensi, qui volente Alexandro III. Pont. conversus est an. 1164. in Archiepiscopatum.

In Polonia Archiepiscopatus Gnesnensis & Cracoviensis beneficio Micislai Ducis ad Orthodoxa sacra conversi, sunt erecti cir-

circa annum 965. consentiente Benedicto VII. Rom. Pont. accessit Archiepiscopatus Leopoliensis in Russia Rubra cum Episcopis Suffraganeis 4. cùm priùs numerarentur 12. aut plures.

In Bohemia adjutore Boleslao II. Bohemorum Duce Pragæ Episcopatus erectus, Episcopum I. nactus est Dithmarum, alterum verò D. Adelbertum Seculo X.

An. 1343. Joannes Bohemorum Rex, & hujus filius itidem Rex & Imperator ad Clementem VI. Pontificem Avenionem in Galliam profecti, impetrârunt exemptionis privilegium, utì vocamus, adversùs Moguntiæ Archipræsulem; atque adeò Pragæ Archiepiscoporum primus cœpit sedere.

In Hungaria Seculo XI. ex munificentia S. Stephani surrexit Archiepiscopatus Strigoniensis, cui fuerunt subjecti 10. Suffraganei.

Accessit temporis successu Archiepiscopatus Colocensis cum octo Episcopis minoribus.

Omissis multis aliis per orbem universum, jam olim & hodie velut erecto corpore constantibus sibi Archiepiscopatibus, id hoc maximè loco commemoro: nullus Patriarcharum, nullus Primatum, nullus Archiepiscoporum Romano Pontifici, si Constantinopolitanum Seculo VI. primùm & VII. ac unà cum hoc paucos excipias, pertinaciter, vel ut adversarii dicunt, constanter sese opposuit; cujus rei argumento esse potest, quòd ipsimet Scriptores adversarii neminem crebriùs & vehementiùs, & ferè solum nobis Phocam tyrannum opponant: argumenta autem alia & superiùs, & multis aliis in locis proposita rem evincant adeò, ut usque ad Seculum VI. & VII. Romano Pontifici de Primatu litem Episcoporum propemodum nullus intenderit: post Seculum verò VII. faventibus ipsis & dolentibus, ac vix non ringentibus Heterodoxis, Præsules in orbe Catholico univiversi, unanimi consensu Romano Pontifici sese subjecerunt usque ad hanc nostram ætatem cum Episcopis Suffraganeis suis, quorum mul-

ta etiam hodie numeramus millia, ut nihil dicam de Præſulibus, Abbatibus & Præſidibus aliis vel Clericorum vel Monachorum in tota Hierarchia Eccleſiaſtica, quod hercle inſtar perpetui miraculi jure merito admiramur & obſtupeſcimus: non enim niſi divini digiti, aut brachii, ſeu dexteræ Excelſi opus hoc eſſe cenſuerunt omnes illi, qui Statum Hierarchicum & Politicum probè ſibi perſpectos habuerunt: homines quippe ſuâmet natura liberi, præſertim in ſublimiori gradu conſtituti, abhorrent plurimùm à majorum dominorum jugo ſeu poteſtate. Reges idcirco etiam conſtanti didicerunt experientia, nihil difficilius eſſe, quàm ampliſſima & ſpatioſiſſima regere regna. Id etiam nôrunt omnes, hominum vires longiſſimè ſuperare & excedere, pluribus Seculis non uni duntaxat, ſed plurimis ſimùlque diverſis atque diviſis populis unum imperare Imperatorem. Quodſi igitur Romanus Pontifex imperavit jam per multa Secula Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, verbo, univerſæ Eccleſiæ per Imperia, Regna & Provincias diverſiſſimas diviſæ, hoc ſi quis *Dextera Excelſi* opus eſſe negaverit, talem ego non ſanæ mentis hominem, ſed bardum dixerim. Atque hoc ipſum novæ Reflexioni & argumento novo ſternit viam ac campum: ſit igitur

REFLEXIO XI.

ARGUMENTUM HISTORICUM VII. MAXIME EX HüBNERO PRO PRIMATU ROM. PONT. SUNT DEXTRÆ EXCELSI OPERA POST SECULUM VII. ORBI EXHIBITA.

Repeto verba millies repetenda: ſi Romanus Pontifex imperavit per multa jam Secula Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis &c. verbo univerſæ Eccleſiæ, per Imperia, Regna & Provincias diverſiſſimas diviſæ, hoc ſi quis *Dexteræ Excelſi* opus

opus esse negaverit, talem ego non sanæ mentis hominem, sed bardum dixerim. Quin hoc ipsum negari minimè sustinebunt amici Hübneriani, si tomulos sibi admodum pretiosos lustrabunt, in quibus Hübnerus diversis affirmat paginis, non obscuris divinæ potentiæ signis ac miraculis non minùs post Seculum VII. quàm antea fulsisse, & Episcopatus suos illustrâsse Viros Apostolicos nullius alterius, quàm Romani Episcopi Supremæ Potestati subjectos. Quod ne jactantiùs, quàm veriùs dicere videar, percurramus perfunctoriè tantùm post sextum etiam Seculum Episcoporum aliquot Germanicorum in Divorum Catalogum relatorum, & ab ipso Hübnero laudatorum Seriem. Vide hanc in rem jam enarrata superiùs exempla partim in Serie triplici Archiepiscoporum, partim etiam in Reflexione VII. &c.

Prænotandum hic, Hübneri tomulos denuo typis impressos, (quod probè nunc primùm adverti,) non constare iisdem paginarum numeris, quibus constant tomuli pridem impressi: hujus proin rei monitum volo Lectorem Benevolum, ne errorem irrepsisse putet, ubi error non est. Cæterùm tamen rei veritatem, & ut ajunt, substantiam, satis indicabunt facta sequentibus uumeris contenta.

SECULO VII.

Hübner pag. 27. *tom. VIII.* S. Rupertus agonis sui præscius Vares puellam mutam beneficio linguæ donavit Teneræ ætatis prolem vivis restituit. Abbati Baderico post fata jam sua apparuit dicens: quando lucerna mea extinguetur, civitas ista subvertetur.

S. Lambertus Ultrajectensis Episcopus à Dodone Plectrudis pellicis fratre occisus, à Deo mirè vindicatur: sicarii namque mox mortui, Dodo autem toto corpore cœpit putrescere & olere pessimè, ut hanc ob rem in Mosam fuerit demersus. *Hüb. pag.* 872. *Tom. VII.*

Pag. 374. *tom. VII.* S. Toſſo Epiſcopus Auguſtanus miraculoſò illuſtratus eſt cereo: cereus namque hic ingruente nocte cœpit ſua ſponte ardere, aurora autem ſuperveniente quotidie eſt extinctus, nulla tamen ſui parte diminutus.

Pag. 157. *tomul. VII.* D. Kilianus à Benedicto II. Pont. miſſus Franconibus Apoſtolus, Gosbertum Ducem adulterum publicum in viam virtutis reduxit. Geylana adultera ob hoc Kiliano irata ſubornavit ſicarios, qui è medio tollerent virum ſibi moleſtiſſimum: eosdem verò ſicarios omnes evidenti miraculo punivit Deus ſcelerum vindex.

Pag. 869. *tom. VII.* Joannes I. Leodienſis Epiſcopus cognomento *Agnus*, ob innocentiam ſuam hoc glorioſo nomine appellatus, agros ſuos ipſe coluit, & lucrum exinde collectum in pauperes diſtribuit: unde vir nec Joanni notus dixit: *labor tuus & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. Actor.* 10. *v.* 4. *eris deinceps Epiſcopus Ultrajecti.* Comparans itaque ſeſe aſinæ Balaami Joannes recepto baculo ſuo dixit: *Si vera dicis, baculus hic meus fructum feret.* Et continuò floruit virga priùs arida; unde verſus:

Per ſtimuli florem, tulit agri cultor honorem.

Pag. 307. *tom. VII.* S. Amandus Argentoratenſis Epiſcopus Baptiſmatis flumine abluens Sigebertum Dagoberti I. Francorum Regis filium, audiit ex infantis, non niſi 6. hebdomades nati ore hanc vocem articulatè pronuntiatam: *Amen.*

Pag. eadem. S. Arbogaſtus S. Amandi Succeſſor Sigebertum Regis Dagoberti filium, in venatione à furioſo equo occiſum, vitæ beneficio donavit, aliis miraculis etiam clarus.

Pag. 309. *eod. tom.* D. Florentinus Dagoberti I. Regis filiam Rothildin ſimul cæcam & mutam miraculô docuit loqui & videre.

SECULO IX.

Pag. 980. *tom. VII.* Bertholdus Monaſterienſis Epiſcopus *recitatis novis Lytaniis* tumefactarum linguarum malo graviſſimo idoneum invenit remedium, poſtquam Medici de remedio deſperârunt.

Pag.

Pag. 929. & seqq. D. Ansgarius Archiepiscopus Bremensis doctus & probus, Danorum, Suecorum & Norvvegorum Apostolus, vaticiniis clarus de Christo Evangelium explicavit.

Pag. 932. & seqq. tom. 8. S. Rembertus Archiepiscopus Bremensis an. 865. &c. vixit miraculis clarissimus: nam Remberti mandato fluctus maris continuò fuerunt sedati. Paraliticos obvios sanavit. Energumenos dæmoniis liberavit. Ipso præsente, & nemine manum admovente captivi catenis suis & vinculis fuerunt liberati. Paucis multa comprehendit hoc ejus elogium:

Dat claudis gressum, salvat quoque dæmone pressum,
Dum mare persulcans prece placans æquoris undas,
Captum solvit equo, reddit sua lumina cæco.

Miraculorum ab eodem patratorum omnium maximum videtur illud, quod vidit villa Mordvvide: nam Normannis eam in villam irrumpentibus, S. Archiepiscopus instar Moysis flexis genibus, & erectis manibus oravit: orante autem ipso pauci illius villæ inquilini Normannorum 1077. occiderunt. Monticulus, cui insistebat Rembertus, ab eo tempore, etiam rigente hyeme servavit flores. Saxum quoque, cui fessas orando manus imposuit Vir Sanctus, digitorum omnium vestigia posteris videnda servavit.

SECULUM X.

Pag. 940. tom. VIII. Hogerus qualis fuerit Bremæ Archiepiscopus, hic indicat versus.

Sanctus & electus fuit Hoger septimus.

Cadaver ejusdem post 100. annos ex sepulchro non absque prodigio affugisse creditum est.

Pag. 941. eod. tom. B. Unno Archiepiscopus Bremensis Suecorum & Danorum Apostolus ardentissimus, Normannos Ecclesiæ Bremensi flammas subdere non verentes miraculoso vento vidit divinitus fugari.

Pag. 780. *tom. III.* Poppo B. Unnonis in Dania laborum ſocius, ut Suen Ottonem Danorum Regem ad Aras Chriſtianas reduceret, rogavit Deum ſignum miraculoſum: perſoluta oratione ardentes induit manicas, & veſtem piceam, atque hæc absque ullius membri læſione flammis eſt conſumpta: manus etiam triumphârunt integræ; unde ſecuta eſt converſio multorum ad Chriſtum.

Pag. 378. *tom. VII.* D. Udalrico Epiſcopo Auguſtano jam an. 910. tum Romæ prædixit præſenti Romanus Pontifex Auguſtanam Mitram; vaticinio ritè impleto: nam Udalricus an. 923. creatus Auguſtæ Epiſcopus miraculis pluribus fuit conſpicuus: inter miracula veniunt numeranda victoria mirabilis contra Hunnos reportata, & perpetua Diœceſis Auguſtanæ adversùs glires immunitas.

Pag. 429. *tom. VII.* D. Conradus Conſtantienſis Epiſcopus Einſidlenſem Baſilicam conſecraturus, duxit ſecum D. Udalricum, ubi divinitus conſecrari vidit eandem Baſilicam, voce cœleſti id miraculum omni præſenti populo teſtante, & D. Epiſcopum ne iteraret conſecrationem, abſterrente.

Pag. 431. *tom. VII.* D. Gebhardus Conſtantantienſis Epiſcopus Romam profectus redux ſecum retulit caput D. Gregorii Pont. Ad Padum fluvium dum pervenit, vidit undas in utramque ripam effuſas: cùm nihilominus adversùs aquas eundo luctaretur vir Dei, virtute Reliquiarum in partes abiit Padus inſtar Jordanis, præbens ſiccum Epiſcopo tranſitum.

Idem Gebhardus conditor Monaſterii Petershuſani brevi moriturus præcepit, ut cadaver ſuum Petershuſii ſepulchro conderetur: Conſtantienſes verò cùm in æde cathedrali idem corpus ſepelire pararent, ſandapila loco moveri minimè potuit. At dum Petershuſani bajuli feretro humeros ſupponere cœperunt, idem nullo negotio potuit elevari & portari in locum teſtamentô præſcriptum. Imò cùm Monaſterio imminerent, columba cœleſtis feretro inſidere ſtupentibus cunctis eſt viſa.

Pag.

Pag. 42. *tom. IV.* D. Adelbertus Romæ confirmatus Pragensium Episcopus diversæ omnino inclaruit miraculis: cùm enim auro & argento destitutus naulum non posset solvere iis, qui trans fluvium Albim Episcopum navigiò vexerant, coactus est detractos pedibus calceos avaris concedere. Verùm his, cùm etiam doctrinam Evangelicam sprevissent, ita merito maledixit, ut hodie etiam ibidem incolæ cogantur pati defectum panis quotidiani singularem.

Idem & Romæ & in Bohemia eodem tempore replicationis beneficio visus est.

Eodem D. Adalberto inter Romanos agente, cùm Strachiquas Bohemorum Ducis frater interea Episcopi munus ambiret maximè, & jam instar Episcopi ad aram facere pararet, justo Dei judicio dæmoni est traditus.

SECULUM XI.

Pag. 670. D. Conradus Martyr dum à Trevirensibus in Archiepiscopi Sedem non admittitur, quin ad explorandam Dei ea super re sententiam, iterum iterúmque præsentissimæ mortis periculò exponitur, inter manifesta miracula vivus servatur diu, & denique lethali vulnere è medio sublatus miraculis lucere non destitit.

Pag. 672. Engelbertus Trivorum Archipræsul Henricum Comitem Limburgensem bonorum Ecclesiasticorum invasorem anathemate percussit: at Henricus contempto anathemate inter cachinnos pronuntiavit: quàm parùm canis hic abstinet ab hoc carnis frustillo, tam parùm me Deo privat Ecclesiæ anathema. Verùm dum mirantibus cunctis canis carnem fugit, territus Comes à lite & bonorum invasione abstinuit. *Vide hoc Seculò patrata ab Archiepiscopis & Episcopis miracula plura in Serie triplici Archipræsulum, & superiùs in Reflexione.*

SECULUM XII.

Pag. 493. *&c. tom. VIII.* D. Norbertus ab ipsamet B. Virgine specia-

ſpectabili veſte Ordinis ſui jam uſitata donatus, & à D. Auguſtino Præſule Regulâ inſtructus, ac demum apparitione tertia Chriſti Servatoris noſtri confirmatus, inſtituit Ordinem Præmonſtratenſem. Totius rei Seriem Hübnerus etiam multis expreſſit, & tandem clauſit his verſiculis:

Cruce locus præmonſtratur,
 Ubi ſtruas regiam.
Sancto tibi Virgo Mater
 Veſtem præbet niveam.
Sanctus Auguſtinus Pater,
 Auro ſcribit Regulam.

Pag. 160. *tom. VIII.* D. Albertus M. Ratisbonæ Epiſcopus beneficio B.mæ Virginis ſingulari ſui temporis Doctor maximus eſt effectus. Quinquennio ante obitum omni ſubitò deſtitutus eſt doctrina juxta priùs jam auditum Magnæ Virginis Oraculum. *Hactenus Hübnerus pene ad verbum. Vide miracula Epiſcoporum Germanorum alia in Reflexione.*

En! non minùs Seculorum ſex poſteriorum, quàm ſex priorum multos Archiepiſcopos & Epiſcopos Germanos miraculis, aut certè teſtimoniis miraculo ſimillimis clariſſimos! quibus teſtimoniis aut miraculis, ut dicta denuo repetam, illud acceſſit ſanè miraculum prorſus mirandum, quòd poſt Phocæ Imperatoris ſententiam (fac fingas ita eveniſſe) Seculis omnibus reliquis Patriarchæ, Archiepiſcopi & Epiſcopi omnes Romano Pontifici expeditiſſimam exhibuerint obedientiam, Romam ipſi bis, ter, quatérve venerint, literas aut legatos miſerint, nunc ut in cauſis & caſibus dubiis conſilium ſeu ſententiam audirent; nunc in anguſtias conjecti ut ſecurum portum attingerent; nunc in Epiſcopos electi ut confirmationem impetrarent; nunc ut gratias & privilegia alia peterent &c. qualia verba creberrimè repetit Hübnerus in citt. ſuis tomulis. Igitur D. Petri & Succeſſorum Pontificum Primatum ipſis etiam teſtibus Lutheranis Scriptoribus cœlum

cœlum luculentis confirmavit teſtimoniis; igitur Eccleſia Romana nondum aberravit à vero, nondum una eadémque ſola Superis acceptiſſima Eccleſia in tenebras ſub modium vel ſcamnum abiit, etiamnum Seculo VII. VIII. IX. X. XI. & XII. lucere viſa eſt ſuper candelabrum; tametſi enim enarrata hactenus ex Hübnero etiam teſtimonia non reipſa patrata eſſent omnia, ſed fortè *conficta eorundem multa*, utì loqui Lutheranis vel quibusvis aliis libet, nihilominus *penitus omnia* nemini prudentum poſſunt eſſe meritò ſuſpecta: tametſi quoque memorata hactenus ſigna *non omnia*, bene tamen *multa*, aut minimùm *nonnulla* in confirmationem Evangelicæ doctrinæ, ſeu Eccleſiæ etiamnum vivæ & veræ, vigentis & florentis ſunt prodita; quod oſtenderunt teſtes optimi miræ multorum converſiones, & idipſum teſtatur frequentiſſimè Hübnerus. Cæterùm meminiſſe id hoc loco lubeat: quamvis nonnunquam Superi oſtenderit ſigna in rerum eventibus, aut parùm, aut nihil ad Dogmata Fidei pertinentibus, raró tamen, vel nunquam facilè contigiſſe, ut vel Apoſtolorum, vel Doctorum quiſpiam ullo inclaruerit miraculo, ſi Romanæ Fidei docuerit contraria Dogmata. Quæ omnia ut pateant ampliùs, ſequatur

REFLEXIO XII.

ARGUMENTUM HISTORICUM VIII. EX HÜBNERO, EST DOCTRINA à DOCTORIBUS ROMANIS SECULIS VI. VII. VIII. IX. X. &c. TRADITA.

ALlatis jam Reflexionibus & Argumentis multis pro Primatu Romanæ Eccleſiæ accedit argumentum authori ſuo rurſum penitus adverſum: in tomulis enim ſuis VII. & VIII. item etiam in illis, quæ comprehendunt Seriem Imperatorum, Regum ac Ducum pluribus quàm 20. paginis teſtatur, Epiſcopos noſtros partim ſcientiis, partim virtutibus conſpicuos *prædicáſſe*

memoratis Seculis Verbum Dei; per eosdem promulgatum Evangelium; divina luce illustrata esse regna; dissipatas fuisse tenebras infernales; dæmonibus bella mota; sublatam ignorantiam; idola ritè destructa: domos Dei erectas: conversos ad aras Christianas Reges, Duces &c. Ut verbis his meis, imò Hübnerianis suum pondus non desit, lubeat, obsecro, Lectori tomulos Hübneri gnaviter volvere & excutere. At enim, ne lector volutandis tomulis Hübnerianis tempus cogatur terere, ex multis paginis, huc obvias juvat adponere, & Lectori velut digito monstrare.

In tomul. I. de Carolo M. Ludovico pio, Henrico Aucupe, Ottone M. & Successoribus, ubi de conversione gentium, paginæ occurrent legenti variæ.

Pag. 768. *tom. III. in editione priori* ita habet: Haraldus VI. Danorum Rex celebrem illum Ansgarium Corvejensem Abbatem in Daniam vocavit Apostolum, qui omnium primus ibidem NB. *Evangelium* explanavit.

Eodem tom. pag. 899. *& seqq.* De Suecorum Regibus Christianis eadem ferè verba repetit.

Tom. IV. pag. 41. Boleslaum II. Bohemorum Ducem hoc perbrevi laudat compendio: *tantis encomiis laudatus est hic Dux, ut passim ab Historicis dictus fuerit propagator* NB. *Christianæ Fidei, pater pupillorum, protector viduarum, & consolator pauperum. Hic. an.* 968 *fundum dedit Pragensi Episcopatui &c.*

Pag. 466. *tom. IV.* Affirmat Micisllaum I. Polonorum Ducem cæcum natum, sed oculorum beneficiò per miraculum prosperè donatum & Christianum factum, pari propemodum miraculo connubium impetrâsse non ampliùs sterile, ductâ in thalamum Dambravvka Boleslai I. Bohemorum Ducis filiâ Christianâ; postquam ex septem conjugibus necdum Christianis nullam susceperat prolem. Inde evenisse, ut Seculo X. per Poloniam universam NB. *Religio Christiana* fuerit continuò promulgata. Addit Hübnerus, eundem Polonorum Ducem à Benedictio VII. Pont. petiisse Regis nomen.

Pag. 756. *tom. IV.* Geysa Hungarorum Dux ducta in thalamum prin-

principe loco nata fœmina Christiana cœpit amplecti NB. *Fidem Christianam:* anno namque 989. Sacro Baptismate ablutus, anno autem 999. *in Religione* NB. *vera* est mortuus. Similia aut majora sunt, quæ sequentibus paginis recenset de B. Stephano.

Pag. 519. *tom. VI.* In Historia Pomeraniæ ita habet: cùm Carolus M. Saxones expugnâsset, post Christianam Fidem ipsis publicatam, NB. *lux Evangelii* Venedorum etiam finibus illuxit.

Pag. 142. *Tom. VII.* D. Otto Bambergæ quondam Episcopus an. 1124. in Pomeraniam profectus est, ut NB. *Christo lucraretur* infideles, quod inter difficultates maximas adeò præstitit, ut Julini Episcopatum erexerit, & Pomeranorum deinceps *Apostolus* dici sit promeritus. Hæc exempli causâ duntaxat dicta Lector existimet; plura enim his simillima capita desideranti Lectori se ultro offerent, ex quibus eam colliget sequelam, *Evangelii lucem* profectò etiam ex Lutheranorum mente ad Seculum XII. usque saltem fulsisse & radios suos quaqua versus emisisse, quod ipsum tamen obfirmato animo aliàs negant & pernegant iidem Lutherani.

REFLEXIO XIII.

ARGUMENTUM HISTORICUM IX. EX HÜBNERO PRO PRIMATU ROM. PONT. SUNT VIRTUTES INSIGNES ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM GERMANORUM NON NISI ROMÆ SUBDITORUM.

HActenus consideravimus doctrinam maximè & miracula non pauca; nunc verò considerabimus in synopsi plurimorum Archiepiscoporum & Episcoporum virtutes eximias & gesta clarissima. Hac autem in consideratione observabimus neutiquam illam, quam nobis reliquerunt Authores Orthodoxi scribendi methodum; potiùs eam Lectori perpenden-

dam dabimus, quam ſuggeſſerunt Scriptores Heterodoxi: ſi enim adverſariorum etiam teſtimonio Antiſtitum noſtrorum virtutes & acta probari viderimus, novum nobis denuo ſuppetit argumentum ab hoſte datum. Volvamus itaque rurſum Hübneri tomulos VII. & VIII. omnium nimirum per univerſum Romanum Imperium Archiepiſcoporum & Epiſcoporum quondam compendia; ponantur omnium numeri aut ſummaria, ut inde fluat deſiderata ſequela & concluſio.

I. Moguntia numeravit partim Epiſcopos partim Archiepiſcopos

per 17. Secula	107.	XXVI. Minda	59.
II. Treviri -	111.	XXVII. Paſſavium	76.
III. Colonia -	87.	XXVIII. Friſinga	57.
IV. Laureac. & Salisburg.	84.	XXIX. Ratisbona	64.
V. Viſuntium -	90.	XXX. Brixinum	87.
VI. Bamberga -	55.	XXXI. Tridentum	106.
VII. Herbipolis -	74.	XXXII. Gurcum	40.
VIII. Euſtadium -	63.	XXXIII. Chiemſea	36.
IX. Wormatia -	69.	XXXIV. Secovium	39.
X. Spira - -	75.	XXXV. Lavantum	30.
XI. Argentoratum	86.	XXXVI. Baſilea	69.
XII. Auguſta -	65.	XXXVII. Lauſanna	41.
XIII. Conſtantia -	86.	XXXVIII. Magdeb.	42.
XIV. Curia -	86.	XXXIX. Merſeburg.	45.
XV. Hildeſia -	55.	XL. Naumburgum	40.
XVI. Paderborna -	49.	XLI. Miſnia -	44.
XVII. Halberſtadium	48.	XLII. Brandburgum	42.
XVIII. Verda -	55.	XLIII. Havelberga	39.
XIX. Meta -	80.	XLIV. Brema -	42.
XX. Tullum -	76.	XLV. Lubecca -	33.
XXI. Verdunum -	84.	XLVI. Schleſvica -	35.
XXII. Leodium -	64.	XLVII. Razeburgum -	30.
XXIII. Ultrajectum	61.	XLVIII. Schvverinum	34.
XXIV. Monaſterium	60.	XLIX. Lebuſium	30.
XXV. Oſnabruga	59.	L. Caminum -	25.

At-

Atque hic ipſiſſimus eſt expreſſus ab Hübnero Archiepiſcoporum ſimúlque Epiſcoporum per Germanicum Imperium numerus, cui addidêre Authores Orthodoxi plures, eo tamen augmento non magno, ut ſinguli conficere poſſint circiter 3000.

Jam verò in tanto Præſulum numero, Hübnerus ipſe duodecim poſt Chriſti natales ſeculis, Epiſcoporum ſimúlque Archiepiſcoporum plerosque usque adeò laudibus extulit, ut vix ſinguli denariorum numeri unum numerent non magìs laudatum, quàm vituperatum, cæteris omnibus maximè laudatis.

Feliciores profectò dixerim noſtros Antiſtites, quàm fuerunt ſuo tempore Apoſtolorum & Epiſcoporum primi, quorum Collegio non numeroſo Iſcariotes grandem inuſſit notam, dum Epiſcopatum ejus accepit alter tanto munere dignior, digniſſimus Mathias.

Encomiorum verò per utrumque tomulum ſparſorum hocce eſt ferme compendium. Archiepiſcoporum & Epiſcoporum plurimi laudantur à doctrina, prudentia, morum probitate virtutúmque aliarum ſelectiſſimarum pretio, quales ſunt oratio, in adverſis patientia & conſtantia, divitiarum contemptus, humanitas, humilitas, liberalitas, vigilantia, zelus animarum, cura Eccleſiæ, concordia, pax, juſtitia &c.

Virtutes alias perfunctoriè tantùm tetigit Hübnerus, fortaſſis eam ob cauſam, ne videretur laudare, quod non delectat imitari plurimos. Dabunt virtutes illas Reflexiones & argumenta, ubi de cœlibatu Clericorum occurret locus. Atque is ipſe ut occurrat brevì, ſit

REFLEXIO XIV.

ARGUMENTUM HISTORICUM X. EX HÜBNERO PRO PRIMATU ROM. ECCLESIÆ, EST INSIGNIS NOBILITAS ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM, PRÆSERTIM GERMANICORUM.

QUamvis ornatus regius, antiquiſſimæ ceræ nobilium & generis ſplendor, vel fundandæ, vel exornandæ Eccleſiæ ex ſe minùs ſint utiles aut neceſſarii, quàm virtutum ſplendor; cùm nihilominus ipſiusmet Summi Sacerdotis Hiſtoriographus Matthæus & Lucas antiquiſſimam juxtà ac nobiliſſimam nati Servatoris noſtri Genealogiam nobis legendam in Sacro Codice reliquerint, inde documenta capimus, ingens acceſſiſſe decus, & accedere hodienum Eccleſiæ Romanæ, ſi & ipſa ſplenduerit & ſplendeat in Epiſcopis & Sacerdotibus non minùs antiquæ proſapiæ, quàm virtutum ornamentô clariſſimis. Quemadmodum nimirum pulchrior in pulchro corpore virtus venit, & ab iis magni æſtimatur etiam, qui virtutibus ſuômet vitiô & voluntate carent, ita Eccleſia in Viris Illuſtribus ſplendet magìs, atque in ſui admirationem rapit eos etiam, qui cæteroquin fugiunt Aras Orthodoxas. Ita rem habere quotidiana docet experientia, & pridem docuit Hiſtoria à Scriptoribus etiam Heterodoxis conſcripta & laudata. Omnium loco teſtis ſit Hübnerus nobis; qui in citt. tomulis ſedulò curavit plurimorum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum natales nobiliſſimos unà cum virtutibus eorundem ita conjungere & extollere, ut illud miratus ſim ante alia, quòd Scriptor Religione ab his Præſulibus longiſſimè diverſus non rapiatur in amorem ardentiſſimum, quo accenſus ſtatuat quamprimum novis Lutheri, vel ſi mavis, antiquis ſed ſimul erroneis placitis nuntium remittere, ut abſque mora ſanguine ſimul & virtutibus nobiliſſimis Epiſcopis

ſcopis propiùs liceat accedere, ſimúlque aras & focos jungere. Omitto hoc loco Præſulum ex Illuſtriſſimo Comitum, Baronum & aliorum Nobilium ſtemmate prognatorum præclara nomina, quæ profectò in ſuperiùs relato ter milleno numero ſunt plurima. Solùm hìc eſt animus ſummorum in Imperio Principum, Regum & ferè Ducum filios fratres & nepotes complures memorare, ut inde Lector, quod lubet, aut ſanæ rationi licet, ſtatuat.

EX IMPERATORIA, REGIA, ARCHIDUCALI, DUCALI ET PRINCIPE FAMILIA ARCHIEPISCOPI & EPISCOPI.

S. Quirinus Imperatoris Philippi cognomento Arabis in Pannonia ſeu Hungaria nati, natus & ipſe filius creatus eſt Laureaci Seculo III. Epiſcopus, dum vel ſimul, vel antea fuit Illyricorum & Hungarorum Apoſtolus, & tandem Martyr inſignis, cujus Reliquiæ ſacræ in Monaſterio Tegernſee quieſcere creduntur.

Rupertus Rudolphi II. Burgundorum Regis filius, Divæ Adelhaidis Imperatricis frater Archiepiſcopus Trevirenſis Seculo. X.

Bruno Ottonis M. Cæſaris ex Luitgarde filia, conjuge Conradi Lotharingiæ, aut veriùs Francorum Ducis nepos, primò Verdenſis Epiſcopus, promeritus eſt eligi in Romanum Pontificem, dictum Gregorium V. principem authorem Electoratûs in Imperio Germanico. *Vid. Secul. X.*

EX FAMILIA AUSTRIACA.

Conradus II. Archiepiſcopus Salisburgenſis Leopoldi Sancti Auſtriæ Marchionis filius maximè laudatus, & Alexandro III. Pontifici Romano pretioſiſſimus, quoniam in adverſis fuit conſtantiſſimus Secul XII.

Otto

Otto Friſingenſis Conradi Archiepiſcopi Salisburgenſis frater germanus, Epiſcopus Friſingenſis, de quo hunc in modum ſcripſit Card. Bellarminus: *Leopoldi Sancti Auſtriæ Archiducis pius filius, quinque Archi-Ducum frater Otto Friſingenſis Epiſcopus, inſigni nobilitate, pietate & doctrina: fuit enim Henrici IV. Imperatoris nepos, Henrici V. Imperatoris ſororius. Conradi III. Imp. frater Uterinus, Friderici Imperatoris patruus & hujus Hiſtoriographus Author clariſſimus, qui libros VII. Chronicorum ſcripſit ab orbe condito usque ad annum Chriſti* 1146. *quibus addidit VIII. librum permagnum de fine mundi, de Anti-Chriſti perſecutione, de reſurrectione mortuorum, de judicio finali, de gloria Beatorum, de ſuppliciis damnatorum: ſcripſit præterea libros duos de geſtis Friderici I. Imperatoris &c. Tandem in ipſo ſuo Monaſterio Ciſtercienſi, in quo Abbas quondam præerat, animam Deo reddidit an.* 1159. *Romano Pontifici in cunctis obedientiſſimus, revocans in mortis articulo, ſi quicquam dixiſſet aut ſcripſiſſet, quod fidei Chriſtianæ contrarium videri poſſet.*

Poppo Leopoldi cognomento Illuſtris Auſtriæ Marchionis filius Elector & Archiepiſcopus Trevirenſis Secul. XI.

Rudolphus II. ſanguinis propinquitate Rudolpho Habſpurgico conjunctus Conſtantiæ Epiſcopus Secul. XIII.

Andreas Ferdinandi Archiducis filius Maximiliani II. Cæſaris nepos Epiſcopus ſimul Conſtantienſis & Brixinenſis Romæ an. 1600. in brachiis Clementis VIII. Pontificis mortuus.

Carolus Ferdinandi II. Cæſaris frater Epiſcopus Breslavienſis, Brixinenſis & ſimul Magiſter Ord. Teuton. mortuus an. 1624.

Leopoldus Ferdinandi II. frater, Epiſcopus Argentoratenſis & Paſſavienſis an. 1626. mort.

Leopoldus Wilhelmus Ferdinandi II. Imperatoris filius, Epiſcopus Paſſavienſis, Argentoratenſis, Breslavienſis & Olmuzenſis an. 1662. mortuus.

Sigismundus Franciſcus Leopoldi V. Archiducis filius Epiſcopus Auguſtanus ſimul & Tridentinus an. 1665. mortuus.

EX DOMO BAVARICA.

Gerbaldus Dux Bavariæ Epiſcopus Leodienſis Secul. VIII.

Chrodogandus Dux Bavariæ Thaſſilonis III. frater Epiſcopus Metenſis Secul. VIII.

Bruno

Bruno S. Henrici Imperatoris frater Epiſcopus Auguſtanus Secul. XI.

Theodvvinus Dux Bavariæ Epiſcopus Leodienſis Secul. XI.

Conradus III. Archiepiſcopus Salisburgenſis Ottonis V. Bavariæ Ducis ex ſtemmate Wittelſpachio frater; idem electus eſt Moguntiæ Elector Secul. XII.

Joannes VI. Alberti I. filius, Ludovici Bavari Imperatoris nepos, Epiſcopus Leodienſis Secul. XIV.

Erneſtus Alberti IV filius Archiepiſcopus Salisburgenſis Archiepiſcopatui Secul. XVI. an. 1560. nuntium remiſit, ut ſolitudini & librorum lectioni ſeſe totum impenderet.

Philippus Dux Bavariæ Maximiliani I. Electoris frater, Epiſcopus Ratisbonenſis, & S. R. E. Card. in juventute mortuus an. 1598.

Erneſtus Alberti V. Ducis filius, Elector Coloniæ, Epiſcopus Friſingenſis, Hildeſienſis & Leodienſis an. 1612. defunctus.

Ferdinandus Maximiliani I. Electoris frater, Elector Colonienſis, Epiſcopus Leodienſis, Monaſterienſis & Paderbornenſis an. 1650. mort.

Albertus Sigismundus Decis Alberti ſimùlque Comitis Leuchtenbergici filius, Epiſcopus Friſingenſis & Ratisbonenſis an. 1685. mort.

Maximilianus Henricus Elector Colonienſis & Epiſcopus Leodienſis, Maximiliani I. Electoris ex filio Alberto VI. Nepos, Alberti Sigismundi Epiſcopi Friſingenſis frater an. 1688. mort.

Joſephus Clemens Maximiliani II. Electoris frater, Elector Coloniæ, Epiſcopus Monaſterienſis, Leodienſis, Friſingenſis & Ratisbonenſis an. 1723. mort.

Clemens Auguſtus Maximiliani II. Electoris filius, Elector Colonienſis & Epiſcopus Monaſterienſis, Paderbornenſis & Hildeſienſis vivus.

Joannes Theodorus Maximiliani II. Electoris filius Episcopus Ratisbonensis & Coadjutor Episcopi Frisingensis vivus.

EX DOMO PALATINA.

Hermannus II. Henrici de Lacu Electoris Palatini frater, Elector Coloniæ Secul. XI.

Eberhardus Hezilonis Comitis Palatini filius, Elector Trevirensis Secul. XI.

Theodoricus II. D. Cunegundis Imperatricis frater, Episcopus Metensis Secul. XI.

Aribo (aliis Erbo dictus) Comes Palatinus & Archiepiscopus Moguntiæ Secul. XI.

Rupertus Stephani Ducis filius, Ruperti Cæsaris abnepos, Episcopus Argentoratensis Secul. XV.

Albertus Ruperti Cæsaris ex filio Ottone nepos, Episcopus Argentoratensis Secul. XV.

Rupertus Friderici Victoriosi Electoris frater, Elector Coloniensis Secul. XV.

Rupertus Ottonis Ducis Palatini filius, Alberti Episcopi Argentoratensis frater, Episcopus Ratisbonensis Secul. XV.

Joannes Comes Palatinus Bipontinus Archiepiscopus Magdeburgicus simul & Episcopus Monasteriensis Secul. XV.

Joannes Philippi Ingenui Electoris filius Episcopus Ratisbonensis, trium Episcoporum frater, nimirum Philippi Episcopi Frisingensis simul & Naumburgensis, Georgii Episcopi Spirensis, & Henrici Episcopi Wormatiensis Secul. XVI.

Henricus II. Philippi Electoris filius, Episcopus simul Wormatiensis, Ultrajectensis & Frisingensis Secul. XVI.

Rupertus II. Friderici Comitis Palatini Simmerensis filius, Episcopus Ratisbonensis ad initium Secul. XVI.

Ludovicus Antonius Caroli Electoris frater, Coadjutor Moguntinus, Episcopus Wormatiensis simul & Leodiensis an. 1694. mort.

Ale-

Alexander Sigismundus Caroli Electoris frater, Episcopus Augustanus ab an. 1690. usque hodie.

Franciscus Ludovicus Caroli Electoris frater, Elector Trevirensis, Episcopus Wormatiæ, Uratislaviæ, Magister Teut. Ord. Præpositus Elvacensis & Coadjutor Moguntiæ.

EX FAMILIA SAXONICA.

Heraclius Leodiensis Episcopus Secul. X.

Wilhelmus Ottonis M. filius, Archiepiscopus Moguntinus, Secul. X.

Gero Marchio Lusatiæ ex stemmate Saxonico, Archiepiscopus Coloniæ, Secul. X.

Albertus I. Archiepiscopus Bremensis simúlque Episcopus Hamburgensi, Secul. XI.

Albertus Alberti II. Electoris ex stemmate Ascanio filius, Episcopus Passaviensis, Secul. XIV.

Sigismundus natus Marchio Misniæ, Electoris Friderici cognomento Bellicosi frater, Episcopus Herbipolensis, Secul. XV.

Ernestus Ernesti Electoris filius, Archiepiscopus Magdeburgicus & Episcopus Halberstadiensis Secul. XV. & XVI.

Magnus Saxo-Lauenburgicus, Episcopus Hildesiensis simul & Caminus, Secul. XV.

Joannes IV. Saxo-Lauenburgicus, Episcopus Hildesiensis Secul. XVI.

Ericus Saxo-Lauenburgicus, Episcopus Hildesiensis simul & Monasteriensis, Secul. XVI.

Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Christianus Augustus Strigonii Archiepiscopus, Protector Nationis Germanicæ, Supremus Secretarius & Cancellarius regni Hungariæ, Legatus Sedis Apostolicæ &c. vivus.

EX FAMILIA BRANDEBURGICA.

Sigfridus Marchio Brandeburgicus, Archiepiſcopus Bremenſis & Epiſcopus Brandeburgicus Secul. XII.

Ericus Marchio Brandeburgicus, Archiepiſcopus Magdeburgenſis Secul. XIII.

Rudolphus Onolſpacenſis, Epiſcopus Halberſtadienſis Secul. XIV.

Henricus II. Onolſpacenſis Epiſcopus Halberſtadienſis Secul. XVI.

Joannes Albertus Friderici Senioris Onolſpacenſis filius, Epiſcopus Halberſtadienſis ad initium Seculi XVI.

Albertus IV. Electoris Brandeburgici filius, Archiepiſcopus Moguntinus ſimul & Magdeburgicus, nec non Adminiſtrator Halberſtadienſis, & S. R. E. Cardinalis an. 1545. mortuus.

Fridericus IV. Joachimi II. Electoris filius Archiepiſcopus ſimul & Epiſcopus Halberſtadienſis Secul. XVI.

EX FAMILIA BRUNSUICENSI.

Otto I. Ducis Alberti M. filius, Epiſcopus Hildeſienſis Secul. XIII.

Henricus III. Ducis Alberti cognomento Pinguis filius, Epiſcopus Hildeſienſis Secul. XIV.

Conradus I. Ottonis, cui Pueri cognomen, Ducis filius, Epiſcopus Verdenſis Secul. XIV.

Otto II. Ducis Magni Torquati filius, Bremenſis Archiepiſcopus Secul. XV.

Albertus II. Ducis dicti Pii filius, Magni Torquati frater, Archiepiſcopus Bremenſis Secul. XVI.

Chriſtophorus Henrici Senioris filius, Henrici Junioris frater, Bremenſis Archiepiſcopus Secul. XVI.

SE-

SEQUUNTUR ALIORUM DUCUM FAMILIÆ ORDINE ALPHABETI.

DUCES BERGENSES SEU MONTIUM.

Rupertus & Wilhelmus Episcopi Paterbornenses Secul. XIV.

DUCES CARINTHIÆ.

S. Bruno Conradi Carinthiæ Ducis filius, Episcopus Herbipolensis Seculo XI.

Hartvvicus Engelberti Ducis Carinthiæ filius, Episcopus Ratisbonensis Secul. XII.

DUCES LOTHARINGIÆ.

Fridericus Giselberti Ducis Lotharingi frater, Moguntinus Archiepiscopus Secul. X.

Adalbero I. Friderici Lotharingiæ Ducis frater, Metensis Episcopus Secul. X.

Adalbero II. Friderici ejusdem Ducis filius, Episcopus Metensis Secul. X.

Theodoricus IV. Matthæi Lotharingorum Ducis filius, Episcopus Metensis Secul. XII.

Henricus I. Theodorici Loth. Ducis filius, Episcopus Tullensis Secul. XII.

Matthæus Matthæi Ducis Loth. filius, Tullensis Episcopus Secul. XII.

Joannes II. Lotharingiæ Dux ex Linea Sircensi, Episcopus Ultrajectensis Secul. XIII.

Carolus Loth. Dux, Episcopus Metensis, Argentoratensis & S. R. E. Cardinalis Secul. XVI.

Ludovicus IV. Renati Lotharingiæ Ducis filius, Episcopus Secul. XVI.

Joannes VII. frater germanus Ludovici IV. Episcopus Verdunensis eodem Secul.

Carolus Joſephus haud ita pridem magno bonorum omnium dolore mortuus.

DUCES MERANIÆ.

Poppo I. Bertholdi IV. Ducis frater, Epiſcopus Bambergenſis Secul. XII.

Erimbertus Bertholdi IV. Ducis Merani filius, Epiſcopus Bambergenſis Secul. XIII.

Poppo II. Ottonis M. Ducis filius, Epiſcopus Bambergenſis Secul. XIII.

DUCES, AUT SALTEM COMITES ANTIQUISSIMI EX WüRTENBERGICORUM DUCUM STEMMATE NATI.

Bruno, electus Pontifex Romanus, & dictus S. Leo IX. Secul. XI.

Gebhardus Epiſcopus Euſtadianus electus Pont. Rom. dictus Victor. II. Secul. XI.

DUCES ZERINGENSES.

Gebhardus & Otto II. Epiſcopi Conſtantienſes Secul. XII.

Rudolphus Epiſcopus Leodienſis, Secul. XII.

FAMILIÆ IN IMPERIO PRINCIPES RELIQUÆ. ORD. ALPHABETI.

EX FAMILIA MARCHIONUM BADENSIUM.

Georgius Marchio Badenſis Epiſcopus Metenſis Secul. XV.
Joannes II. Elector Trevirenſis Secul. XV.
Jacobus II. Elector Trevirenſis, Succeſſor Joannis Secul. XVI.
Fridericus Epiſcopus Ultrajectenſis, Secul. XVI.
Guſtavus Adolphus Princeps Abbas Fuldenſis, Campidunenſis, & tandem S. R. E. Card.

EX FAMILIA PRINCIPUM FüRSTENBERGICORUM.

Conradus Egonis IX. Auracenſis Comitis filius S. R E. Card. Secul. XIII.

Geb-

Gebhardus Egonis X. cognomento Barbat Comitis Friburgenſis & Briſacenſis filius, Epiſcopus Spirenſis Secul. XIII.

Franciſcus Egon, Egonis ex Linea Heiligenbergica filius Friderici Nepos, Epiſcopus Argentoratenſis Secul. XVII.

Wilhelmus Egon Franciſci Egonis frater, Epiſcopus Argentoratenſis, S. R. E. Card. & Coadjutor Moguntinus.

EX FAMILIA PRINCIPUM HOHENZOLLERANORUM.

Fridericus I. Eitel-Friderici II. filius, Epiſcopus Conſtantienſis Secul. XIII.

Fridericus III. Cognomento Æpplin, Friderici VI. ſeu Nigri filius, Epiſcopus Conſtant. Secul. XV.

Fridericus inter Epiſcopos hujus nominis Auguſtæ III. ad initium Seculi XVI. Epiſcopus Auguſtanus.

EX FAMILIA PRINCIPUM NASSOVIÆ.

Hazego Naſſovius, Wormatienſis Epiſcopus Secul. XI.

Gerlachus Naſſoviæ Comes, Elector Moguntinus Secul. XIV.

Adolphus Naſſovius, Elector Moguntinus Secul. XIV.

Joannes Naſſovius, Elector Moguntinus Secul. XV.

EX FAMILIA PRINCIPUM ET COMITUM OETINGANORUM.

D. Notgerus Epiſcopus Leodienſis Secul. X.

Fridericus Epiſcopus Euſtadianus Secul. XV.

EX FAMILIA PRINCIPUM SCHWARTZENBURGICORUM.

Gerhardus Epiſcopus Herbipolenſis & Naumburgenſis Secul. XV.

Güntherus Archiepiſcopus Magdeburgicus Secul. XV.

Henricus Archiepiſcopus Bremenſis Secul. XV.

Ha-

Hactenus de ſolis Archiepiſcopis & Epiſcopis ex multorum Virorum Principum in Romano Imperio proſapia prognatis catalogus perfunctoriâ operâ eſt collectus: moliminis namque magni opus non foret, multò plures quamprimum invenire, ſi quærendi animus non deeſſet. Profectò properè percurrenti Genealogicas Virorum in Imperio tabulas occurrunt paſſim præter nonnullos Romanos Pontifices, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Principes Abbates magno numero. Quodſi jam addere luberet ingentem numerum Illuſtriſſimorum Comitum & Baronum in ſolo Romano Imperio enatorum, quos vel in Archipræſules, vel quoscunque alios Eccleſiæ Præſules lapſis ſeculis multis elegerunt: quodſi etiam volupe eſſet huc adducere generis ſplendore nobiliſſimos Antiſtites quosvis, qui floruerunt in Italia, Hiſpania, Gallia, Anglia, Scotia, Hibernia, Dania, Suecia, Polonia, Bohemia, Hungaria, & demum in Aſia, Africa & America, tunc enimvero in admirationem ſui raperet æquiſſimè Lectorem decus clariſſimum & ſplendor lucidiſſimus, quem natalium nobilitas virtuti conjuncta generavit Romnæ Eccleſiæ. Nemini certè, niſi fortè obſcuriſſimis faunis, potuit unquam diſplicere & ingens virtutis pretium & nobilitatis decus eximium. Utrumque ardentiſſimè amari, utrumque maximi æſtimari à ſe, fatetur Germanus, Anglus, Danus, Suecus &c. tametſi à Romano Dogmate ſit alieniſſimus: iidem verò omnes virtutem ſimùlque nobilitatem elegantiori & firmiori vinculo conjunctam nullibi in terrarum orbe citiùs invenient, quàm in Germana, Hiſpana, Gallicana &c. quæ omnes ſunt Romanæ, atque adeò omnes una Eccleſia nobiliſſima.

RE-

REFLEXIO XV.

DE CÆLIBATU ARCHIEPISCOPORUM, EPISCOPORUM &c. PRÆSERTIM GERMANORUM.

§. I.

Cùm de Archiepiscoporum, Episcoporum & Clericorum virtutibus ac dotibus præclaris multa hactenus dixerimus, non oportet omittere multa, quæ de eorundem *Cælibatu* dici poterunt. Mirè studuit Hübnerus eorum solerter meminisse Episcoporum, quos matrimonii vinculo ligatos fuisse vel verè existimat, vel vana suspicione permotus temere affirmat. Veritati testis sit Hübnerianus calamus, qui tom. VII. pag. 875. Floribertum Leodiensem Episcopum S. Huberti Successorem his paucis depinxit lineis: *fuit Floribertus filius Huberti*, qualem filium *alii dicunt spiritualem, alii naturalem.*

Tomul. VII. pag. 17. in Moguntina Histor. de Gervilione Archiepiscopo ita habet: *Gervilio legitimus Geroldi Archiepiscopi Moguntini & Antecessoris sui filius mortem parentis sui tanto desiderio ulcisci statuit, ut ipsemet adversùs Saxones hostes in aciem descenderit.*

Eod. tomul. in Curiensium Episcoporum Serie hunc in modum scribit pag. 465. *Paschalis Episcopus natus est Brigantii Comes: conjux hujus Esopeja nomine pariter è Comitum genere descendit. Inveniuntur antiquissimæ epistolæ, quibus etiam suum subscripsit nomen, & sese dixit Antistitam. Ex quo colligimus etiam Seculo VIII. Episcopos vixisse, qui D. Pauli monitum secuti, unam duxerunt uxorem.* Mox ita sequuntur alia:

Victor I. (Episcopus Curiensis) *legitimus antecessoris sui filius sepultus est unà cum parentibus suis in Virginum monasterio Cazensi.*

Eod. tom. VII. pag. 837. & seqq. commendat Gebhardum Electorem Coloniensem, quòd Agnetem Comitem Mansfeldianam uxorem duxerit, & nihilominus Coloniensem Ecclesiam sibi servare laborârit gemina sponsæ dissimillimæ unus sponsus.

Locis aliis pluribus affirmat, nullo autem argumento confirmat, Clericis licitum fuiſſe celebrare nuptias.

§. II.

Antequam his infirmiſſimis ſatisfiat narratiunculis, argumenta pro Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & quod ſequitur, Clericorum omnium in Romana Eccleſia à Seculo I. uſque ad hoc noſtrum XVIII. Cælibatu conſtanti ac perpetuo juvat præmittere: hoc enim modo contraria juxta ſe poſita eluceſcent magìs.

ARGUMENTUM I.

Votô perpetuam Caſtitatem Deo promittentium valor omni tempore in Romana Eccleſia fuit maximus, eò quòd ab ejuſdem Eccleſiæ exordiò exempla ad ſui imitationem plurimos rapuerint validiſſimè. De exemplis Chriſti Servatoris noſtri, ejuſdem magnæ Matris, ſimul & Apoſtolorum, præſertim D. Pauli, in Apoſtolatu non nubentium abundè conſtat omnibus. Verba Chriſti ſunt Matth. 19. v. 10. 11. *Dicunt diſcipuli ejus: ſi ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.* v. 12. *Sunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus: & ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum.* Luc. 14. v. 26. *Siquis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem &* NB. *uxorem, & filios, & fratres, adhuc autem animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Matth. 19. v. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni ſequere me.* Ibidem v. 28. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis?* Ibid. v. 29. *Omnis qui reliquerit domum vel fratres aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut* NB. *uxorem &c. centuplum accipiet.*

Verba Magnæ Virginis & Matris Lucas 1. cap. habet v. 34. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Paulus 1. Corinth. c. 7. à verſu 25. ferè per totum caput reliquum ita diſſeruit: *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo: conſilium autem do.* v. 38. clariſſimè proſequitur: *igitur & qui matrimonio jungit Virginem ſuam, bene facit, & qui non jungit,*

jungit, meliùs facit. Et demum in fine capitis: *beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium: puto autem, quod & ego spiritum DEI habeam.*

His clarissimis exemplis & verbis divinissimis persuasa firmissimè Ecclesia Romana, constanter tenuit, insistendum esse vestigiis castissimis Christi, Deiparæ & Apostolorum iis universis ac ac singulis, qui sponte sua eligunt statum Ecclesiasticum.

ARGUMENTUM II.

Quanto authoritatis robore præter allatos ex S. Codice textus nos Catholici contra quosvis Virginitatis hostes instructi simus, lubeat ex Conciliis etiam intelligere:

Concilium itaque *Nicænum I.* Seculo IV. tempore D. Sylvestri celebratum Can. 3. prohibuit Episcopis, Presbyteris & Diaconis domi alere fœminam præter *matrem, sororem, amitam.*

Concilium *Romanum* sub eodem D. Sylvestro Pont. congregatum prorsus idem statuit. His accesserunt Concilia per orbem ferè universum habita; nimirum

Concilium *Ancyranum* ante XIII. Seculo jam in Galatia collectum Can. 10. dicit, Diaconos, qui in ipsa ordinatione non protestantur, se velle uxorem habere, non posse post ordinationem eam ducere: si autem protestentur, posse ducere, quia tunc censetur Episcopus cum eis dispensâsse.

Concilium Neocæsariense; paulò post Ancyranum in Cappodocia indictum Can. 1. inquit: *Presbyter, si uxorem duxerit, ordine suo moveatur.*

Concilium Carthaginense II. an. 390. celebratum Can. 2. sic statuit: *omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, vel Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab uxore se abstineant, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.*

Concilium Elibertinum Seculo IV. circa annum 370. congregatum Can. 33. decrevit hunc in modum: *Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis ac Subdiaconis, abstinere se à conjugibus, & non generare filios.* Similia habent Concilium Toletanum II. IV. & VII.

Concilium Arelatense Seculo V. institutum Can. 2. cavit, *ne ullus conjugatus ad Sacerdotium assumatur, nisi continentiam ab uxore promiserit.* Prorsus similia statuerunt Concilia Turonense I. & II. Agathense & Aurelianense, cujus ultimi Can. 3. verba leges: *ut nullus Clericorum à Subdiacono & supra, propriæ, si fortè jam habeat, misceatur uxori.*

En Concilia Asiæ, Africæ, & maximæ partis in Europa, nimirum Italiæ, Hispaniæ, Galliæ & nostræ Germaniæ: idipsum namque statuerunt, & pridem statutum esse agnoverunt Concilia Germanica Aquisgrani, Wormatiæ & Moguntiæ Seculo VIII. & IX. habita. Sanè Concilium Wormatiense ferè repetiit verba Concilii Elibertini: Can. enim 9. hoc modo decrevit: *Placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi abstineant se ab uxoribus, & non generent filios.*

ARGUMENTUM III.

Conciliorum Testimoniis jungo antiquissimorum Pontificum Decreta:

D. Clemens enim Seculi I. quartus Ordine Pontifex Can. 27. hæc habet: *Innuptis autem, qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus, ut si voluerint, uxores accipiant, sed lectores cantoresque tantummodo.*

D. Calixtus Seculi III. Pontifex secundus Dist. 27. apud Gratianum Canone Presbyteris hæc præcepit: *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis & Monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere, penitus interdicimus.*

D. Siricius Seculi IV. Pont. ultimus in epistol. ad Hemericum cap. 7. *prohibet cum uxore commercium iis, qui sunt in sacris*, quod non negavit Calvinus ipse. Non latent etiam nos præcepta,

D. Innocentii I. Seculi V. Pontificis secundi,

D. Leonis I. ejusdem Seculi V. Pontificis septimi,

D. Gregorii M. Seculi VI. Pontificis ultimi. Taceantur horum & multorum aliorum Pontificum verba, solius D. Leonis audiatur sententia, quæ est ista: *Omnium Sacerdotum tam excellens est electio, ut hæc, quæ in aliis membris Ecclesiæ vacant à culpa, in illis tamen habeantur illicita. Cùm enim extra Clericorum Ordinem constitutis nuptiarum societati & procre-*

procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendam perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem carnale connubium conceditur, ùt & qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares & innupti: quodsi in hoc ordine qui quartus extat à capite, dignum est custodiri, quantò magìs in primo, vel in secundo, tertióve servandum est, ne aut Levitico ministerio, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se à voluptate uxoria, necdum firmâsse detegitur.

ARGUMENTUM IV.

Præceptis Pontificum accedant testimonia antiquissimorum Patrum.

Origines Homil. 23. in librum Numeri: *certum est, quia impeditur sacrificium indesinens iis, qui conjugalibus necessitatibus serviunt; unde videtur onibus, quòd illius solius est offerre sacrificium, qui indesinenti & perpetuæ se devoverit castitati.*

D. Epiphanius contra hæreses: *Sanctum Sacerdotium ex Virginibus, ut plurimùm, aut ex solitariis, aut si hi ad ministerium non suffecerint, de his qui se à propriis uxoribus continent, & si quis ab initio continens viduus fuerit, habere potest locum Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi.*

D. Chrysostom. Homil. 2. de patientia Job: *dixit unius uxoris virum, non ea ratione, ut id nunc in Ecclesia observetur: oportet enim omni prorsus castitate Sacerdotem ornatum esse.*

D. Cyrillus Cathechesi 12. *si, qui apud JEsum bene fungitur sacerdotio, abstinet à muliere: ipse JEsus, quomodo ex Viro, & muliere proditurus esset?*

Oecumenius in cap. 3. epist. 1. ad Timoth. explicat verba D. Pauli notissima, nimirum: *unius uxoris virum* hac sua & ritè credentium omnium sententia: *non statuit, ut ab uxore pendeat Episcopus, aut uxorem necessariò habeat, sed si fiat è mundanis, non sit saltem bigamus, ita tamen, ut vocatus ad Episcopi munus, illud compleat: quòd qui habent uxores, sint tanquam non habentes.*

D. Hieronymus lib. in Vigilantium: *quid facient Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti & sedis Apostolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt.*

Idem in fine Apologiæ pro libris contra Jovinianum: *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium pudici.*

D. Ambroſius lib. 1. de officiis cap. ult. *Inoffenſum exhibendum & immaculatum miniſterium, nec ullo conjugali coitu violandum cognoſcitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipſo conſortis conjugali, ſacri miniſterii gratiam recepiſtis &c.*

D. Auguſtinus lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 20. *ſolemus eis proponere continentiam Clericorum, qui plerumque ad eandem ſarcinam ſubeundam capiuntur inviti, eámque ſuſceptam usque ad debitum finem Domino adjuvante perducunt.*

Idem lib. de S. Virg. c. 21. *nos ſecundum ſcripturarum ſanctarum fidem ſanámque doctrinam nec peccatum eſſe dicimus nuptias, & earum tamen bonum non ſolùm infra Virginalem, verùm etiam infra vidualem continentiam conſtituimus.* Satis ſit adduxiſſe Patrum antiquiſſimorum & verba & exempla; non indigemus pluribus: non deſit tamen uberior locus argumentis reliquis.

ARGUMENTUM V.

Plerorumque Heterodoxorum hoc noſtro tempore conſtans eſt ſententia, primis minimùm tribus aut quatuor Seculis poſt Servatoris noſtri glorioſam aſcenſionem præceptis & conſiliis divinis ſimúlque Apoſtolicis Eccleſiam Romanam attendiſſe plurimùm, conformâſſe doctrinam & mores, extitiſſe per eum temporis decurſum Epiſcopos noſtrîs etiam ſeculîs imitatione digniſſimos. Obteſtor jam per Superos & inferos, Scriptores Heterodoxos, ut exhibeant tandem *absque erroris periculo* nomen ullius Romani Pontificis, ullius Archiepiſcopi aut Epiſcopi per Italiam, Africam, Hiſpaniam, Galliam, Angliam, Germaniam &c. qui vel exemplo ſuo, vel ullo teſtimonio publico Eccleſiæ probato docuerit, Clericis fuiſſe liberum, integrum & decorum in Latina præſertim Eccleſia uxorem ducere, ductam ſervare, more maritorum diligere.

ARGUMENTUM VI.

Demonſtrant Hübneriani tomuli, per univerſum Romanum Imperium & hujus vicinas provincias ſediſſe Seculis XVII. par-

partim Episcoporum, partim Archiepiscoporum abundè magnam copiam: atqui ex hac magna Antistitum copia Hübnerus & socii observatores sedulissimi non nisi paucissimos ausi sunt expresso nomine nobis objicere Episcopos, quos asserunt, neutiquam verò vel authoritatis vel alterius argumenti adminiculo ostendunt, matrimonii lege fuisse adstrictos: qualis inde fluat illatio, æquo rerum arbitro censendam relinquo.

ARGUMENTUM VII.

Si ullo unquam tempore fuisset liberum, integrum, aut minùs etiam decorum Sacerdotibus nubere, plurimi procul dubio Seculis primis & mediis vigente libertatis & licentiæ copia duxissent conjuges, quemadmodum videmus per duo jam Secula ministros Lutheranos & Calvinianos ambabus, ùt ajunt, non solùm manibus, sed brachiis totis ambire consortes thalami. De quibus tamen omnibus in utramque partem, cùm adeò constet, ut prius omnino lateat, posterius pateat, noverint prudentes judicium ferre.

ARGUMENTUM VIII.

Fingamus verò Sacerdotibus Romanis usque ad Nicolai I. vel Gregorii VII. ætatem integerrimum fuisse D. Pauli consilium sequi, vel matrimonio jungi. Fingamus denuo, non nisi dimidiam, aut fortè quartam eorundem classem conjugii vinculis manus dedisse: hoc si finxerimus, oportebit ex veterum annalibus eruere, scribere & pingere non tantùm Archiepiscoporum & Episcoporum, sed *& Archiepiscoporum & Episcoporum Seriem*: (liceat obsecro loqui methodo Hübneriana) atque adeò haud difficiliùs fuisset Hübnero genealogiam earundem contexere, quàm difficile fuit plerorumque Imperatorum, Regum, Virorum Principum, horum conjugum, quin & multarum concubinarum lineas genealogicas solerter deprehendere. Certè cùm Hübnerus Gebhardi

hardi Electoris à Romana Eccleſia transfugæ Agnetem Mansfeldianam & Paſchalis Curienſis Epiſcopi Eſopejam & genere & nomine tenus nullo fere negotio potuerit cognoſcere, res facilis omnino fuiſſet plurima ſimilium mulierum nomina, ſtirpes, filios & filias recenſere, quemadmodum nimirum hodie non eſt difficile Martini Lutheri Catharinam de Bore conjugem qualemcunque & horum filios nominare.

ARGUMENTUM IX.

Minimè verentur dicere Latini, in Eccleſia Græca ſeculis poſtremis, non verò primis, fuiſſe integrum viris, qui primam duxiſſent conjugem, inter Viros Eccleſiaſticos etiam ſuſcepto Sacerdotio numerari: quodſi igitur paribus argumentis permoti intelligerent, in Eccleſia Latina non abſimilem nubendi datam fuiſſe licentiam, cur obſecro erubeſcerent fateri, quod res eſſet? cùm Oecumenica Concilia ipſamet palàm confeſſa ſint hactenus, in Eccleſiæ poteſtate conſtanter fuiſſe, & eſſe hodie, Clericis nuptias non malè concedere, vel meliùs negare.

ARGUMENTUM X.

Docet Hiſtoria, dictat experientia, notum eſt lippis & tonſoribus, miniſtris Eccleſiæ Eg. Lutheranis vicinis noſtris rem oppidò difficilem reddi curis domeſticis, nimirum uxore ipſa, filiis, filiabus, nepotibus, cæteriſque hæredibus apertis & occultis: has verò ſupervacaneas difficultates à Doctore gentium ritè notatas, ut maximam partem ſublatas eſſe gauderet Romana Eccleſia, an non jure interdixit matrimonio iis, in quorum poteſtate & libertate eſt vel fugere vel accedere, eligere inter bonum & malum, inter bonum & melius? An non etiam in ſtatu militari aut politico vel munus vel onus liberè in humeros ſuſceptum, portandum eſt unà cum multarum difficultatum appendice? quamquam prudentum nemo dicit facilè, Clerico difficilius

cilius esse non nubere, quàm nubere, de ara tantùm, quàm de ara simul & Sara sollicitum esse, præsertim si nascatur brevì nec à Deo promissus Isaac, nec optatus Ismael.

ARGUMENTUM XI.

Affirmat equidem Hübnerus, D. Bonifacium severitate maxima animadvertisse Seculo VIII. in Parochos uxoribus alligatos. Is ipse refert, Suecorum saltem Sacerdotibus aliquo tempore vel concessum, vel permissum esse conjugii vinculum. Verùm similes levis armaturæ milites nullo labore repelluntur tum armis Hübnerianis, tum nostris: Hübnerus namque iisdem paginis confitetur, non modò Sacerdotibus Clericis, sed etiam Religiosis non paucis volupe fuisse non tantùm simplici, sed & multiplici adhærere mulieri: igitur vel arcus Hübnerianus est sine nervo, vel ita scopum attingit, ut evincat, Religiosis etiam viris nuptias fuisse concessas, & simul his aut aliis Sacerdotibus polygamiam non fuisse vetitam: Bonifacins enim *omnia in omnibus* Sacerdotibus, Diaconis & Subdiaconis carnis vitia detestatus est, & repetitis Pontificiis præceptis è medio sustulit: ex D. Bonifacii igitur odio, vel injuncto Clericis non nubendi præcepto nihil favoris aut valoris sperare sibi potuit Hübnerus. Multa sanè vetantur vitia annis à nato Christo fermè singulis, quæ nullo unquam ævo fuêre licita, quod quàm de adulteriis Eg. non ambiguum sit, nemo ambigit. Cæterùm de nubendi licentia primis Suecorum Sacerdotibus data, ut vel modicè constaret, ampliùs optandum est. Verumenim vero quidquid demum contigisse inter Suecos vel referat Historia, vel fingat Hübneriana fabula, parum aut omnino nihil refert: jam enim memoravimus, ab aliquot Seculis Græcorum Sacerdotibus licuisse nuptias celebrare ante susceptos Ordines. Simile beneficium, vel ut dicam meliùs, carnis illicium si permisisset Ecclesia, minimè foret vituperanda; nisi fortè ipsum Supremum Numen ob hoc vitupe-

randum eſſe cenſeamus, quòd Polygamiam, & multa alia Hebræis in Teſtamento Veteri *permiſerit.*

ARGUMENTUM XII.

Tandem propoſitis noſtris argumentis jure deſideramus iterum iterúmque authorum legitimorum eòrumque maximè veterum tabulas & monumenta, quibus ob oculos ponant nobis amici Hübneriani, ullo unquam per XVII. Secula tempora Sacerdotibus Germanis licuiſſe nuptias impunè contrahere: de pœnis enim & mandatis Eccleſiaſticis à Seculo VII. crebrò repetitis, ipſe creberrimè dicit teſtimonium Hübnerus in tomulis ſuis contra ſe & ſuos teſtis validiſſimus. De prioribus autem Seculis tot, ut vidimus, tot ſunt inquam caſtiſſimorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Præſulum, & minorum Sacerdotum exempla, verba & monumenta, ut ſua multitudine & robore penitus elidant, enervent & abſumant quasvis adverſariorum narratiunculas anilibus fabulis ſimillimas. Opponet jam, per me licet, Hübnerus etiam hoc loco, haud paucos fortè ex Pontificibus quoque Romanis uſos eſſe prorſus illicito carnis commercio; quid tum poſtea? An Iſcariotes mæchus, an magus, an fur fuerit, parùm intereſt, fuit nihilominus Chriſti diſcipulus, Apoſtolus miniſter Eccleſiæ. Vitia igitur tam parùm obeſſe poſſunt legitimæ Pontificum poteſtati, quàm parùm obeſſe novimus legitimæ Imperatorum Regum, aut aliorum virorum Principum authoritati. Nega ſi potes, quisquis audacter negare conſueviſti, & tum quid firmum validúmque in orbe terrarum dici queat, haud ampliùs invenio. Habeant jam, quod tantopere deſiderant Heterodoxi, fuerint pauci ex Romanorum Pontificum longiſſimâ Serie carnis vitio aſſueti, tum verò dent etiam nobis, quod magnopere exoptamus, videlicet paucos ſaltem ex eadem Pontificum Serie, matrimonii vinculo ligatos: at votis noſtris minimè damnamur. Hübnerus enim ſin-

ſingulorum Pontificum ſolertiſſimus obſervator, & plurimorum criminator de ſolo Hormiſda auſus eſt dicere, hunc connubii legem junxiſſe Pontificatui, atque adeò genuiſſe patrem Pontificem, genitum eſſe filium non minùs Pontificem. Verùm quàm vanè, quàm fictè ſit auſus aſſerere, videatur Series Pontificum Friburgi in lucem edita.

Jam verò Gervilionis Archiepiſcopi Moguntini & Paſchalis Epiſcopi Curienſis exempla Hübneriana, quem Lectorum, obſecro, à communi tramite abſterreant; aut in ſemitam nobis adverſam abripiant. Vera enim vel falſa dicant adverſarii, nec pilum nec hilum tamen inde lucrantur: fingamus, vel liberalitate maxima concedamus reipſa eveniſſe, ut Archiepiſcopus & Epiſcopus ſuam duxerit uxorem, & tum ſequitur planiſſimè, quòd uterque à rectiſſima Antiſtitum reliquorum omnium via aberrârit longiſſimè more ovium perditarum, aut potiùs more paſtorum, quos ajunt lupos.

REFLEXIO XVI.

DE COELIBATU ET MORIBUS CLERICORUM ANTIQUORUM PRÆSERTIM GERNANORUM.

QUoniam Hübnerus variis iiſque multis paginis Clericorum præcipuè antiquorum mores parùm honorifico pingere penicillo, aut deſcribere Calamo non eſt veritus adeò, ut miraculi aut monſtri inſtar eidem viſum ſit inveniſſe *Parochum* in Divorum catalogum ritè adſcriptum; hac de cauſa oportet etiam quæpiam opponere de ſtatu Clericorum Epiſcopis minorum. Priusquam verò pro horum, præcipuè verò Parochorum cauſa juſtiſſima dicere aggredior, pauca præmit-

to, quæ obſervanda priùs & præmittenda dedit cum ſociis Hübnerus: meminiſſet itaque juvat.

I. Hübnerum cum aſſeclis in eo totum eſſe, ut vel ſuâ Hiſtoriâ evincat, vel pridem evictum credi jubeat, Clericis non minùs quàm laicis licuiſſe uxores ducere.

II. Hanc ob cauſam iniquìs præceptìs inſtitiſſe, & pœnis urſiſſe D. Nicolaum I. Gregorium VII. alióſque Pontifices Romanos, ut Sacerdotes à contrahendis nuptiis procul arcerent.

III. Non minùs malè, imò pejùs egiſſe in Germania D. Bonifacium, quòd totis viribus in id unum incubuerit, ut ſuas Parochis adimeret uxores.

IV. E contrario Henricum IV. Imperatorem juſtiſſimè contraveniſſe Gregorii VII. pæceptis & pœnis, concedendo ſuas Clerici conjuges. Legat hac ſuper re cuicunque placuerit, Hübneri tomulum I. III. VII. & VIII. in quibus multoties repetit data hic compendio.

His præmiſſis delectat ex Hübnero quærere: vel tulit antiqua Eccleſia legem, qua Sacerdotibus negandæ erant nuptiæ, vel veriùs legis non meminit? Horum prius ſi aſſerat cum ſociis Hübnerus, tunc hercle ruit pars nimiùm magna de tomulis Hübnerianis, in quibus propugnavit, veluti pro aris & focis pugnaret, miniſtrorum in Dei Eccleſia nuptias, uxores, filios filiáſque ùt vocat creberrimè, *legitimas.* Sin poſteriùs affirmet, tunc nefas non fuit Clericis, conjugem unam, & hac mortua ſecundam, & deinceps tertiam cum ancillis domi alere, amare & liberos ſuſcipere. At enimvero ſic denuo pars abundè magna de Hübnerianis argumentis evaneſcit: argumenta quippe, quibus Sacerdotum mores convellit ſæpe, ſunt ea maximè, quibus intendit docere, Sacerdotes Parochos noſtros teneriùs dilexiſſe ſponſas profanas, quàm ſacras; liberis generandis majorem navâſſe operam, quàm libris legendis; paucis multa: inter curas domeſticas & uxorias illecebras parùm curâſſe animas &c.

Haſce

Hasce verò illecebras & curas maritorum more domesticas si lex nulla vetuerit, nec hodie Lutherana Religio suis ministris interdictas velit, non capio, cur usque adeo Hübneriani libri reprehendant liberum quorundam Sacerdotum cum uxoribus suis olim commercium & studium domesticum: conjugia namque è vestigio sequuntur multa commercia à Gentium Doctore pluribus descripta. *Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Corinth. 7. Hæc ad hominem, cui ut multa fingendi amore permittamus, fingamus tantisper per varia Secula non nisi à paucioribus Clericis Venerem & quosvis vitiorum Deos fuisse victos triumphatósque, quid tum postea? an ob pravos multorum etiam Sacerdotum mores ruit continuò Romanum ædificium? minimè gentium: abusus namque neutiquam tollant usum, & vitia reddant nequaquam ejus authoris doctrinam vitiosam, cujus essentia, utì cum Theologis loquimur, ipsissima est virtus. Hæc nisi capiant adversarii, de Ecclesia Testamenti Veteris pauca oportet dicere. Suos nimirum passi sunt manes cum Pontificibus Testamenti Veteris Duces, Reges, Judices: quin & Patriarcharum ac Prophetarum nonnulli: in vitiosissimorum hostium manibus erant Arca fœderis, & multo tempore universa Hebræorum Ecclesia: nec tamen Ecclesia, nec Arca de suo pretio amisêre quicquam. Obsecro fingat Hübnerus, aut fingant amici Hübneriani, fuisse aliquo tempore Lutheranis placitis haud immerito magnum pretium; si pravi mores ministrorum aut Virorum Principum hoc qualecunque diminuunt, aut tollunt omnino pretium, actum est de Lutherana Ecclesia. Testor Historiam publicam; testor quotidianos rumores & famam minimè dubiam: testor confessiones Lutheranorum & Calvinianorum publicas, quibus præter suorum partim Ecclesiasticorum, partim Politicorum Ministrorum infirmitatem maximam, utinam non etiam Principum confiteri cogerentur nævos & errores.

Hucusque profectò multa diſſimulavi atque permittenda putavi, quæ deinceps permittam nuſpiam & nunquam: probatos enim maximè doctrinâ, virtute multiplici, imò virtutum ſanctitate clariſſimos, & maxima veneratione digniſſimos Parochos alióſque Clericos plurimos ex antiquiſſimo, medio & ultimo Eccleſiæ ſtatu, ex Hübnero ipſo, ſed ſui denuo oblito oſtendere, eſt perquam jucundum, ſuave ac facile: meminit enim

I. Ipſe Hübnerus præſertim tomulo ſuo VII. & VIII. perſæpe ab Archiepiſcopis & Epiſcopis à Seculo Reparatæ Salutis VIII. nunc Wormatiæ, nunc Moguntiæ, nunc Coloniæ, nunc aliis in Germaniæ urbibus celebrata eſſe Concilia, ut emendarentur non paucorum Sacerdotum mores & ſacra. An non illi ſaltem probatis fuerunt moribus, qui authores & adjutores extiterunt horum Conciliorum?

II. Meminit, Epiſcopus ex Germania etiam multos unà cum Clericis longiſſimarum viarum ſociis in Palæſtinam veniſſe, ut venerarentur in ſuis veſtigiis & monumentis poſteritati relictis Servatorem ſuum unicè dilectum. An non horum ſaltem pars major aut magna promerita eſt multis celebrari laudibus?

III. Aſſerit, plenos animarum zelo & charitatis ardore incenſos contendiſſe Apoſtolorum more *cum ſociis Sacerdotibus* ad convertendos Friſones S. Bonifacium; ad Danos, Suecos & Polonos S. Anſgarium & S. Rembertum; ad Bohemos & Moravos S. Adalbertum; ad Brandeburgicos & Pomeranos S. Ottonem; ad Magdeburgicos S. Suibertum; ad Norvvegos S. Olaum; ad Weſtphalos S. Ludgerum &c. An non horum plerique ſaltem inter laudatiſſimos Apoſtolorum æmulos ſunt numerandi?

IV. Refert, ex univerſis per Germaniam Archiepiſcopis & Epiſcopis, ſi ipſi non venerint in provincias à ſe diſſitas, non paucos ſedulò curâſſe, ut mitterentur idonei viri ex Clericorum

ſtatu

ſtatu, ad erudiendas primò, vel pleniùs inſtruendas infidelium turmas. An non ſuus hos maneat honos?

V. Affirmat, univerſam denique Germaniam à Seculo VII. VIII. & IX. usque ad X. aut XI. Romanis acceſſiſſe ſacris, abdicata eſſe fœminarum conſortia; Clericos Romano jugo eſſe ſubjectos. An non reformatio hæc jure placeat?

VI. Cum honore & laude refert, inſtitutas eſſe & ordinatas per Occidentales præſertim & Septentrionales partes, diœceſes novas unà cum paræciis diverſiſſimis: ipſos vicatim veniſſe Epiſcopos, ut ſacerdotum ſubditorum coram arbitri & cenſores obſervarent ſtatum. An poſſit Hübnerus vituperare Clericos, quos paulò antè laudavit?

VII. Confirmat ſuo ſuffragio, quamvis ſchiſmata inter Pontifices & Imperatores præcipuè Francos natione & Suecos oborta, multis repleverint malis Eccleſiam & Imperium; inter adverſitates nihilominus maximas Archiepiſcopos & Epiſcopos pleroſque cum ſubditis Clericis Pontifici Romano conſtantiſſimè adhæſiſſe, contemptis quibusvis rerum temporalium periculis. Quis tales tantóſque Clericos jure reprehendat?

VIII. Affert Hübnerus ipſe Archipræſules cum Epiſcopis ex Clericorum ſtatu electis à Seculo VI. ad hanc ſeram usque ætatem noſtram profectò multos partim generis ſplendore, partim ſcientiarum peritiâ, partim morum probitate, partim virtutum ſanctitate, partim miraculorum claritate plurimùm conſpicuos; argumento ſit triplex Archiepiſcoporum noſtrorum Series & Reflexiones ſuperiùs allatæ. An ſaltem hos encomiis extollere non pergat Hübnerus Clericos & Parochos maximos?

IX. In Serie Romanorum Pontificum tametſi Hübnerus induſtria ſingulari conquiſiêrit omnes omnium ferè nævos per Secula ſingula; iisdem tamen Seculis in comparatione meliorum, imò optimorum ſimúlque multorum Pontificum ex Clericorum ſtatu electorum invenit admodum paucos, quos invitâ minervâ

veriùs

veriùs voluit, quàm jure potuit reprehendere, & Lectori exoſos reddere. Optatam igitur extollendi Clericos noſtros obtulit anſam Hübnerus licèt maximè invitus.

X. Veniant jam nobis Parochorum clariſſimorum nomina, ut ex paucorum exemplis appareat, quales quantique fuerint plurimi, quos ſua quæque novit ætas, & eos poſteritati licet facilè intelligere ex multorum authorum libris, ac fortè etiam ex hoc præſenti libello. Argumenti inſtar eadem præclara nomina erunt nobis ob id etiam, quòd Hübnerus ipſe eorundem aliquot ſuo more laudârit:

EX DIVORUM CLERICORUM MAXIMO NUMERO NONNULLA NOMINA ORDINE ALPHABETHI.

S. Albanus Epilepticorum ſolatium *dictus*.
S. Aquilinus peſte laborantium ſalus.
S. Batho famelicorum nutritius.
S. Burchardus claudorum baculus.
S. Eulogius Verbi Divini ſeminator zeloſus.
S. Felix ſuppreſſæ veritatis defenſor.
S. Florinus indefeſſi paſtoris ectypon.
S. Gamelbertus Propheta ſanctus.
S. Giſilarius Cathechiſta ſedulus.
S. Goar adversùs detractores Patronus.
S. Guilielmus vocatus à Deo Sacerdos.
B. Hieronymus Simon Paſſionis Dominicæ cultor.
S. Joannes Nepomucenus ſilentii cuſtos & juſti honoris defenſor.
Ven. Joannes Sarcander Martyr invictus.
S. Jvo pauperum advocatus.
S. Præcordius in provocandis pluviis alter Elias.
S. Toſſe cereus nunquam deficiens.
S. Trudo Hasbaniorum Apoſtolus.

S. Va-

S. Valentinus veritatis Christianæ zelotes.
S. Wolfoldus contra calculum Patronus.
S. Wonedulffus claudorum & cæcorum Adjutor.

Hos paucos ex multis colligere veluti in fasciculum florum placuit, ut virtutum multarum odorem olfaciendum darem Lectoribus Orthodoxis & Heterodoxis.

En! amicissime Lector argumenta decem ab ipsismet Clericorum nostrorum reprehensoribus in Hübneri tomulis ipsomet authore errorem suum non notante sparsim conscripta, & causæ melioris partibus relicta, ex quibus rem perfunctoriè etiam consideranti facilè patebit, partem Clericorum sanè magnam Seculis non modò à morte Servatoris nostri proximis, sed & omnibus reliquis constitisse sibi plurimùm in munere Apostolico ritè obeundo. Quod ipsum quàm egregiè, præsertim à Tridentini Concilii ætate præstetur à Pontificibus Romanis tanquam Supremis Ecclesiæ Parochis, item à Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Præsulibus minoribus, & Parochis plurimis omni virtutum & scientiarum genere celeberrimis, minimè opus est, ut pluribus scribat calamus, dum orbis Catholicus loquitur universus. Si igitur, veluti crebrò contendit Hübnerus cum sociis, fuit plurimorum Sacerdotum crassa ignorantia, legum divinarum ac humanarum libera transgressio, Veneris & Bacchi connubia perpetua &c. quæ vocat deficientis Ecclesiæ Romanæ argumenta; tunc considerent etiam atque etiam æquissimi rerum arbitri, an non hæc ipsa fuerint invalescentis, & instar lolii inter vepres crescentis Lutheranæ Religionis nutrimenta & augmenta ac prima fundamenta: considerent pariter, an si hodie cum sociis venirent, veluti venerunt Calvinus, Lutherus, Zwinglius &c. an putas his locum concederent Parochi plurimi Romani, natione Germani literis, moribus & virtutibus instructissimi simúlque præstantissimi, quales ac quantos nimirum ante aliquot Secula multo tempore exoptârunt boni

omnes sibi & exspectârunt, non tamen impetrârunt, atque adeò ovium instar ex defectu pastorum & pabuli melioris ad deteriora pascua declinârunt plurimi, hauquaquam declinaturi hodie, si res foret integra. Augumento sint Reges, Duces, Viri, fœminæq; Principes per Europam maximè, ad Orthodoxa Sacra reduces unà cum multis mortalium resipiscentium millibus. *Leg. Seriem Rom. Pont. Imperatorum, & reductorum passim nomina multa.*

REFLEXIO XVII.

AN CONSULTIUS FUERIT, ADHÆRERE ALBERTO ELECTORI MOGUNTINO IN FIDE ROMANA FIRMISSIMO, AN VERO JOANNI FRIDERICO ELECTORI SAXONICO LUTHERI PLACITA AMPLECTENTI?

QUantæ turbæ in Ecclesia & Imperio Germanico secutæ fuerint duobus abhinc Seculis vel ob id maximè, quòd Albertus natus Marchio Brandeburgicus, electus dein Magdeburgicus Archipræsul, & Moguntiæ Elector, posthabito Luthero Joannem Tezelium ex Ordine Prædicatorum Virum doctissimum sibi delegerit ad promulgandas Jubilæi indulgentias, non inter doctos duntaxat, sed in vulgus etiam est notissimum. In illo maximo rerum discrimine Tezelius Alberto Electori tanquam petræ institit & adhæsit firmissimè: Lutherus ut & ipse inniteretur columnis, providit sibi de Viris Principibus, præsertim verò de Joanne Friderico Electore. An igitur Albertus, an Fridericus, an Tezelius, an Luthetus ex prudentiæ regula egerit magìs, jam paucis est discutiendum.

I. Albertus eligendo sibi in promulgatorem indulgentiarum Joannem Tezelium jure suo usus, nullius jus læsit: Fridericus Lutherum electo Joanni summopere invidentem nullo jure, aut saltem maximâ Alberti offensâ, sibi propugnandum suscepit.

II. Al-

II. Albertus ut motos componeret fluctus, teſtibus epiſtolis etiam ad Lutherum datis, rem totam ſuaviter diſcutiendam eſſe docuit. Fridericus ſuadente Luthero turbas amavit, & turmas armavit.

III. Albertus ùt de fide controverſias identidem excitari magìs advertit, in cauſis Eccleſiaſticis ad Pontificem, in Politicis ad Cæſarem confugit: Fridericus urgente Luthero, & Pontificis, & Cæſaris ſententias ſi non deſpexit, minimùm neglexit.

IV Albertus ex communi bonorum omnium conſilio Tridenti celebrandum eſſe Oecumenicum Concilium eſſe & ipſe cenſuit: ejusdem conſilii primò, ſed non poſtremò fuit Fridericus.

V. Albertus ut ſtaret promiſſis, & Eccleſiæ bono communi prodeſſet plurimùm, præſens Concilio adeſſe ſtuduit: Fridericus parùm promiſſi, aut propoſiti ſui tenax, nec ad Concilium venit, nec legatos miſit.

VI. Albertus Concilii Canones, conſilia & ſententias examuſſim eſt ſecutus: Fridericus privatorum Doctorum inter ſeſe parùm convenientium mentem eſt ſecutus.

VII. Albertus in Imperii Comitiis conſtanter præſens verbo & opere prodeſſe Reipublicæ firmiter ſecum conſtituit: Fridericus unà cum ſociis multa clam egit & comitia turbavit.

VIII. Albertus inſtar angeli pacis omni tempore bella diſſuaſit; obedientiam & reverentiam exhibendam eſſe & Pontifici & Imperatori perſeveranter dixit: Fridericus clam agitatis de gerendo bello conſiliis in apertos denique campos exercitum adversùs Eccleſiam & Imperium eduxit.

IX. Albertus decorem domûs DEI conſtanter diligendum optimè ratus, Eccleſiæ theſauros ſanctè cuſtodiri imperavit: Fridericus, aut hujus multiplex ſocius oblatis ex Eccleſia auro, argento & omni pretioſa ſuppellectile vacuas DEO ædes ſine cul-

tu, ſine decore, pecorum ſtabulis non multùm abſimiles reliquit teſte hodiernâ experientiâ.

X. Albertus antiquiſſimæ Eccleſiæ mores & præcepta ritè edoctus, nunc jejunandum, nunc à comedendis carnibus abſtinendum, nunc Sacerdotibus ad aram facientibus attendendum, nunc de peccatis, ùt vocamus, mortalibus, ſecundum numerum & ſpeciem Sacerdoti confitendum, nunc juxta D. Doctoris gentium doctrinam, corpus caſtigandum & ſervituti ſubjiciendum; Clericis verò univerſis ac ſingulis à conjugii vinculo fugiendum &c. verbô, leges, licèt ſint difficiliores, in Eccleſia eſſe conſervandas, & ſanctè cuſtodiendas unà cum maxima orbis parte Catholica cenſuit: Fridericus cum minori longè opinantium grege faciliora & periculoſiora omnia arripuit.

X. Albertus malis bellorum plurimis obrutus, inexpugnabilem & invictiſſimum ſe oſtendit: Fridericus victus & captus à Cæſare, ut victori victas denique daret manus, cœlum monere & mandare eſt viſum: ſed monuit non audientem, mandavit renuenti, an conſtantiùs, an pertinaciùs, Fridericus jam didicerit.

XII. Albertus Eccleſiam Romanam à veritatis tramite aberrâſſe, quod affirmârunt Lutherani, haud bene doceri, minùs oſtendi argumentis, minimè demonſtrari aſſeruit: Fridericus nimiùm facilis ad credendum incredulis absque ſolido fundamento dixit: *Eccleſia in multis erravit, reformatione opus eſt.*

XIII. Albertus uſurpans ſibi ſententiam illam hodiernis Proteſtantibus communiſſimam: moriendum eſt in Religione illa, in qua nati ſumus, niſi ratio luce meridiana clarior mutationem ſuadeat: Fridericus rerùm graviſſimarum momentis in utramque partem ſatìs haudquaquam perpenſis & conſideratis, januam latiſſimam placitis novis & ſacris an non temere aperuit?

XIV. Albertus ea virtute & felicitate vixit tandémque fatis conceſſit, ut vivo & mortuo multas dixerint laudes non modò

dò Orthodoxi, ſed & Heterodoxi, convicti Albertinis virtutibus: an ita evenit Friderico?

XV. Albertus ea virtute & felicitate vivens ac moriens præceſſit exemplo Viros in Imperio Principes, ut ejusdem veſtigiis pedem figere relictâ Friderici viâ gaviſi ſint hactenus multi; veluti demonſtrat reductorum Principum numerus. An (edicite obſecro) à multis omnino luſtris nactus eſt ſectatorem Virum in Imperio Principem Fridericus?

Statue igitur amice Lector, an Joannes Tezelius Albertum, an Martinus Lutherus Fridericum ſecutus ſit tutiùs. Statue pariter, an Albertus in ſtadio Romano feliciùs ad metam uſque currere perſeveraverit, quàm Fridericus currere cœperit, curſum tamen non conſummaverit Elector meliori via, duce, doctore ſaniori digniſſimus, ſi Superis placuiſſet, aut placere ampliùs ſtuduiſſet.

SECULUM XVIII.

UTRUM IMPERIO PROSINT MINUS VIRI PRINCIPES ECCLESIASTICI, QUAM SECULARES.

PLurimùm intereſt Europæ noſtræ Romanum Imperium in ſtatu conſtitutum eſſe optimo; huc tendut bonorum omnium vota ac deſideria; huc collimat Bulla Aurea Reipublicæ Germanicæ publica Regula, quæ eos Imperatori requirit ac deſiderat adjutores, ut tanquam columnis inſiſtere poſſit ædificium Imperii firmiſſimum, aut veluti membris ritè diſpoſiti & compoſitis Caput Supremum Cæſar. Non defuerunt elapſis Seculis hoſtes multi, qui Electoribus in Imperio tribus Eccleſiaſticis, Archiepiſcopis reliquis, Epiſcopis & Præſulibus aliis omnem dignitatis gradum, & quamlibet bonorum temporalium poſſeſſionem jure invidendam, quin occaſione quavis diripiendam eſſe exiſtimârunt, eo etiam perſuaſi argumento

 falla-

fallaciſſimo, quòd minimè è re Germanici Imperii ſit, Principes Eccleſiaſticos tanto numero intueri ac venerari. Num ita res habeat, nunc paucis conſiderandum. Imperatori ut integrum, planum, facile & expeditum ſit pro poteſtate ac majeſtate ſua quovis tempore imperare, virum & aurum dare, conſiliis & auxiliis, præſertim ſi neceſſitas poſtulet, ſuccurrere, nequaquam graventur Status Imperii. Reſpiciamus jam præterlapſa ab inſtitutione Electorum & aliorum Virorum Principum Secula omnia, an Ordines Eccleſiaſtici, an ab his diverſi ſuo tempore expeditiùs jure poſcenti auxilia Cæſari obediverint. Niſi odium pareret multorum ſingularia nomina & auxilia memorare, res continuò pateret, & diſcrimen appareret. Abſit verò à nobis remotiſſimè cujuſcunque demum Viri Principis nomen adducere, vel famam in diſcrimen vocare: exempla multis communia veluti per tenebras reſpexiſſe ſufficiat. Probè autem meminiſſe juvat, inter eos inteſtinos Imperii hoſtes veriùs, quàm amicos, & rarò, & non niſi pauciſſimos numeratos fuiſſe Viros Principes Eccleſiaſticos, ſi tamen excipias Henrici IV. Friderici II. Adolphi aliorúmque Imperatorum iniquiſſima tempora, quibus eosdem Imperatores omni dignitate ac poteſtate Imperii exuendos eſſe judicârunt denique Status in Imperio ferè ſinguli & univerſi; atque adeò nemini vitio vertendum fuit, partes talium Imperatorum deſeruiſſe. Si verò imperârunt Imperatores ab his maximè diverſi, hoc eſt ſupremo ſolio & ſceptro digniſſimi, tunc oculis intueri licuit nunc militum copias, nunc aurum belli nervum, nunc auxilia alia Cæſari ab Eccleſiaſticis Ordinibus omni tempore longè expeditiùs, quàm ab aliquot Imperii Civibus ſubminiſtrari. Dum multa hìc ſilens prætereo, non ſilendum eſt, quòd Eccleſiaſticorum Statuum ſit illa virtus maximè propria, qua conſueverunt cives ſuos non nimiùm gravibus onerare tributis, non indulgere luxui, rem oppidò curare domeſticam, proſpicere tempori, conſulere futuris tempeſtatibus,

pau-

paucis accipe multa, providè rem agere, ut in omnibus agatur proſperè. Non fugit Imperatores, Reges, Duces & milites multos Principum Eccleſiaſticorum ac in Monaſteriis Præſulum ſolertia, cura domeſtica, & res Oeconomica; unde non rarò in anguſtiis nunc petiêrunt, nunc armatis precibus poſtulârunt ſuppetias aureas. Sileo hìc denuò multa, ne vel eminus etiam detur offenſæ locus. Hæc pauca proinde pro Eccleſiaſticorum in Imperio Statuum honore debito dixiſſe ſatìs: plura animo volvere, oculis in Hiſtoria publica legere, & calamo ſcribere relinquamus aliis.

REFLEXIO XIX.

AN LUTHERANI SCRIPTORES CITRA PRÆJUDICIUM SUI SCRIBERE POSSINT HISTORIAS RELIGIONIS CAUSA CREBRO PERMIXTAS?

POſtquam Lutheranorum Hiſtoricorum libros non paucos volvi & revolvi, legi ac relegi, antecedentia & conſequentia, majora & minora, Eccleſiaſtica & Politica, quo ordine aut methodo ſibimet reſpondeant, conſideravi, dubitare mecum non vanè occepi, num Lutheranæ fidei aut religionis author quiſpiam abſque aperta verborum & ſententiarum, atque in fide etiam articulorum repugnantia calamum inſtar gladii poſſit ſtringere, ſimúlque in hoſtem dirigere ſine proprio vulnere. Nec multo hìc, nec magno labore opus erat, ut ipſa planiſſima veritas ſeſe inſinuaret, negans ac pernegans, ritè fieri poſſe, ut Scriptor hodiernus Luthero Eg. addictus Virorum in Imperio Principum Hiſtoriam conſcribat, niſi manu altera ædificet, altera deſtruat; vel profectò non niſi nominum & annorum jejunam Seriem conſarcinet, quod Hiſtoricum commendat minimè. Multorum loco & exemplorum inſtar veniant

nobis

nobis Hübneriani tomuli Germanorum plurimis non ignoti. Tomuli hi univerſi Hiſtoriam partim Eccleſiaſticam, partim Politicam complexi, qua verborum concordiâ & ſententiarum conſtantiâ ſibimet reſpondeant in Serie Romanorum Pontificum, Imperatorum & nunc Eccleſiaſticorum Electorum, multis in locis deprehendimus & manu palpavimus. E. g.

In Serie Romanorum Pontificum omiſſis miraculis & laudatiſſimis factis ſola propemodum recenſet nomina & vitia, quæ ullo unquam tempore eveniſſe limati ingenii authores & Lectores Lutherani ne opinantur quidem: in tomulis autem aliis ampliſſimum concedit locum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum factis egregiis, Regum, Ducum ac aliorum Virorum fœminarúmque ad Romanas aras converſionibus prodigioſis &c.

In eadem Pontificum Serie antiquæ Religionis ſeu Fidei lumen vel Seculo III. aut IV. aut certè his proximo abſconditum, modii aut ſcamni tenebris concreditum eſſe fidenter aſſerit; Pontificis Romani authoritatem in Epiſcopos alios, in Principes Politicos pernegat, ridet, contemnit: in tomulis aliis Eg. VII. & VIII. utì memoriâ propè tenemus, eſt ſibimet contrarius.

In tomulo I. laudat Lotharium II. quòd Sacerdotibus ad aram facientibus ſummo mane per unam alterámve horam adeſſe firmiter ſtatuerit: in tomulis verò aliis eos maximè commendat, qui Catholicorum ſacris adeſſe recusârunt.

In Serie Imperatorum, Regum ac Ducum diffitetur neutiquam, patratis multis etiam Seculo VII. VIII. IX. & X. miraculis plantatam & propagatam eſſe Eccleſiam: in Serie autem eadem, aut non multùm diverſa eradicatam ferè eſſe ritè credentium Religionem affirmat.

In tomulorum ſuorum partibus variis, ubi Religio Catholica & Lutherana veluti in arena ſibi occurrunt hoſtes, ſigna cœleſtia facili negotio pro ſe ſuíſque admittit: at verò in partibus aliis eadem pro Romanis aſſerta extenuat, ſomnia vocat aut fabulas.

In

In tomulis VII. VIII. & aliis Divorum Evergetum apparitiones, auxilia prompta & ſolatia commemorat: at in tomulis iisdem, vel aliis honorem perexiguum Divorum choris admittit, negata penitus eorundem invocatione. Taceo res multas alias, quæ Hiſtoriæ concordiam maximopere deſiderant. Et ſanè argumentis pluribus oſtendere non eſt difficile, Hiſtorias ab Heterodoxis ſcriptas aut ſcribendas, ſi de Religione, more ſibi jam conſueto non ceſſent multa ſparſim inſerere capita, absque narrationum diſcordia & pugna propria conſiſtere vix poſſe: Hiſtoricis enim Lutheranam Eccleſiam propugnantibus incumbit

I. Palàm facere, Eccleſiam Romanam primis Seculis Deo dilectam ex viſibili, ùt ajunt ipſi, tranſiiſſe in inviſibilem. Incumbit

II. In cauſa hac omnium graviſſima argumentis non vero ſimilibus duntaxat, ſed certis, & luce meridiana clarioribus demonſtrare, Romanam Eccleſiam aliquo tempore integram, fuiſſe verè corruptam.

III. Coguntur exhibere, quo anno aut Seculo tantam metamorphoſin paſſa ſit Romana Eccleſia.

IV. Adiguntur edicere, quis aut quæ demum cauſa tantæ eclipſis in Eccleſia extiterit. Hinc ſi reponant, Romanos Pontifices tanti mali originem fuiſſe; tunc enimvero

V. Obligantur teſtimoniis declarare, Eg. Gregorium M. vel Bonifacium III. vel alium horum Succeſſorem in Dogmate ſaltem aliquo *certè* erràſſe, & in errorem traxiſſe pene infinitos alios mortalium miſeros.

VI. Tenentur hiſtoriâ ſuâ edocere Judicem, qua ratione urbes & orbis ferè univerſus, vel ſimul, vel ſenſim ſine ſenſu derelicto Deo Romano Pontifici jam non vera, ſed fallax Eccleſia pertinaciùs quàm firmiùs adhærere cœperit.

VII. Jubentur patefacere, cur Ecclesia per plurimorum annorum centurias omnino extingui non queat, si possit per multa omnino secula abscondi, vel in paucis duntaxat capitibus, iisque confertissimæ hominum multitudini penitus ignotis conservari.

VIII. Docere ipsorum est, cur cœlorum, ùt vocamus, janua omnino non possit seris firmissimis concludi per dena Secula, si tam multis Seculis nemini ferè pateat (nam non nisi ritè credentibus patet) Ecclesia, quæ dicitur verè *Porta cœli.*

IX. Oportet manifestare, textus S. Codicis, qui communissimè in medium afferuntur pro Ecclesia perpetuò visibili, in diverso longissimè sensu procul dubio esse accipiendos, quàm nunc à Romana accipiuntur Ecclesia.

X. Ipsos decet defendere, in sacris paginis patere textus alios, quibus demonstrentur tempora, aut locus, aut modus Ecclesiæ veluti sub terris absconditæ.

XI. Demonstrandum est Romanæ Ecclesiæ hostibus tam Græcorum, quàm Latinorum Patrum testimonia & Historicorum Historiam pro Ecclesiæ nostræ perpetua visibilitate editam, esse prorsus vanam ac fatuam.

XII. Oneribus aliis accedit & hoc; aperire nimirum & ostendere, imitatores Christi innumeros pene Martyres vel à Seculo IV. vel V. VI. &c. usque ad Lutheri tempora fuisse deceptos, dum sanguinem haudquaquam in testimonium latentis, sed apertæ Ecclesiæ, scilicet Romanæ, fuderunt.

XIII. Ostendant necesse est, sinistrâ prorsus doctrinâ fuisse instructos eos viros & fœminas Principes, quos à Seculo IV. V. VI. &c. Romanæ Ecclesiæ propiùs accessisse ex Historia etiam Hübneriana novimus.

XIV. Evincere oportet, Ecclesiam nostram in variis omnino dogmatibus *certissimè* differe ab ea Ecclesia, quæ floruit primis Seculis.

XV. Coguntur ob oculos ponere, quot & quænam censeantur ea diversa dogmata.

XVI. Officii ratio postulat inde, ut luce meridiana clariùs exponant, suam scilicet Lutheri Ecclesiam prorsus non differre ab ea Ecclesia, quæ primis Seculis supra candelabrum luxit.

XVII. Oportet demum Lutheri asseclas respondere, an ipsorum Ecclesia sit manifestè vera & visibilis?

XVIII. Item an non & ipsa ex visibili mutari possit denique in non visibilem?

XIX. Si reponant, Ecclesiam suam esse veram ac visibilem. incumbit obligatio pandendi signa illa, an nimirum similia, an diversa sint ab iis, quæ vidit Ecclesia nostra à primis & mediis Seculis?

XX. Si respondeant esse similia nostris: nunc patrocinantur nobis. Si diversa placeant signa, necessitas cogit dicere, quæ & qualia sint illa; an nimirum extraordinariæ Eg. Virorum Principum conversiones, an miracula, an doctrinæ unitas, puritas, sanctitas &c? Si hæc non displiceant

XXI. Aperiant necesse est, quænam illæ fuerint conversiones, quænam illa miracula, qualis doctrinæ unitas, puritas &c. ita ut in nostra Ecclesia non sint omnia hoc etiam ex capite plura, illustriora, veriora?

XXII. Tandem cùm Ecclesiam nostram in multis errâsse asserant, & documentis Historicis assertum firmare laborent, Scriptores adversi, incumbit his ante omnia alia argumentis solidissimis ante oculos Lectorum ponere, Historiam nostram

 longè

longè antiquiorem ſua recentiori ſuperari, confutari, atque confundi.

XXIII. His aliísve ſimilibus rerum capitibus ritè datis & probatis, atque in fronte librorum ſuorum præfixis, aut ſi placet, a tergo poſitis, ſi ſcribant Hiſtorias fidei controverſiìs mixtas, non vitandi, non vitupevandi, ſed legitimis Lectoribus ſunt digni Scriptores Lutherani. *Vide argumenta plura in Serie Rom. Imperatorum pag. 15. 16. & 17.*

REFLEXIO XX.

QUANTI HÜBNERIANA ADMONITIO SIT FACIENDA, QUA UNO ALTEROVE DE ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS LOCO OBSCURE INTENDIT DICERE, SE POTIUS SCRIBERE MORE CATHOLICO ROMANORUM, QUAM LUTHERANORUM.

SCripſit ùt memini, Hübnerus in una & altera pagina, præſertim verò de origine antiquiſſimorum Epiſcoporum, & horum uno alteróve ſtupendo prorſus miraculo, *fidem admodum dubiam adhiberi meritò his aliísque Papiſtarum narratiunculis. Item non tam ſuam, quàm Papiſtarum credulam hic aperiri mentem &c. Vid. tom. VII. pag. 462. de Curienſium Epiſcoporum origine. Eod. tom. pag. 29. de Archiep. Mogunt. Eodem tom. pag. 774. &c.* Scripſit, inquam, hunc in modum Hübnerus, at ita ſcripſiſſe ac monuiſſe an Orthodoxis, an Heterodoxis proſit magìs, haud obſcurum eſt: tametſi enim in una alteráve pagina dicto moneat modo, tale tamen monitum omiſit in mille paginis, Catholicorum quaſi manu & more, utinam & fide ab Hübnero exaratis. Monita item Hübneriana neutiquam multiplex, ſed unum alterúmve Lutheranis parùm acceptum caput, aut facinus attendunt, quod abundè Lectori teſtantur monitìs & cautelìs Hübnerianis notatæ paginæ. Adde, Hübnerum nunquam facilè omi-

omisisse nunc dicteria, nunc acerba monita, nunc oppositiones Catholicis adversas, quotiescunque libuit magìs, quàm licuit: libuit autem scribendi creberrimè non solùm Seriem de Romanis Pontificibus, sed etiam de Archiepiscopis, Episcopis & aliis Viris Principibus. Denique optarem sanè, ut Archiepiscoporum & Episcoporum Series scripsisset fideli calamo, veluti scriptas jam invenit in Authoribus Catholicis, tum enimvero appareret continuò discrimen inter veros & truncatos libros. Dum Serarii & Brovveri libros de Archiepiscopis Moguntinis & Trevirensibus in lucem editos crebrò perlegi, & manibus, ùt ajunt, palpavi, Hübnerum pleraque hisce ex Authoribus collegisse & suum addidisse, justissima indignatione accensus & iratus sum Scriptori, quòd multà & meliora planè omiserit, pauca & pejora expresserit. Quàm sæpe igitur pro Catholicis contra se suósque scripsit, *suimet oblitus, & Historiæ veritate convictus* scripsisse censendus est. Minimè proin solvuntur continuò argumenta nostra Hübnero Historiæ suæ & tomuiorum discordiam maximam opponentia, dum fortassis reponit Hübnerianus hæres aut amicus, Hübnerum in tomulo VII. VIII. & aliis multa potiùs Catholicorum more & fide recensuisse: enimvero si hæc scribendi historiam methodus placuit in tomulis postremis, cur non pariter in primis, ubi de Romano Pontifice & Imperatore præsertim de Phoca rem legendam dedit? Sinistrâ demere, quod dedit dextera; nunc affirmare, nunc affirmatum negare; nunc album, nunc nigrum dicere; nunc calidum, nunc frigidum spirare, nec Superis, quin nec inferis jure potest placere. Doctrinæ constantia, Historiæ concordia, dictorum & scriptorum conformitas maximè commendant Authorem: vitia quævis his virtutibus contraria condemnant Historicum. Secus si res habeat, Hübnero epitaphium hoc brevissimum quadrabit perbene:

Hübnerus hic jacet,
Quem dicunt Hiſtoricum.
Multa is ſcripſit,
Quæ ipſe non credidit,
Qua putas fide dignum?
Liberos & libros
Poſteris reliquit:
Ipſe ad plures abiît;
An ad Hiſtoricos,
An ad Fabulatores,
Viator ſta & diſcute.

Hæc ſi minùs arrideant, fingamus obſecro, utì aliàs, non more Hübneri fingere libuit & licuit, Authorem Catholicum attentâſſe ſcribere Lutheranæ Eccleſiæ Hiſtoriam eadem prorſus methodo, qua Hübnerus ſcripſit Seriem Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Virorum multorum in Romana Eccleſia clariſſimorum; an non continuò Lutheri aſſeclæ ſcriberent, clamarent, & vociferarentur: *en! ipſimet Papiſtæ fatentur non obſcurè, Lutherum non perperam docuiſſe, non vano aut fanatico ſpiritu impulſum reformâſſe Eccleſiam, damnâſſe ſuperſtitiones, & ſupervacaneos Romani Pontificis rigores, abuſus &c.* Si ita Themiſtocles, cur non & Epaminondas? Si ita noviſſimi, cur non & antiquiſſimi? Si ita Germanico - Lutherani, cur non ita Romano - Germanici? Intelligitis rem amici Hübneriani; quotiescunque nimirum in Authore Catholico, præſertim Societatis noſtræ deprehendere fuit ſententiam, aut periodum verborum vobis in ſpeciem etiam faventem, ambabus manibus veſtrorum Scriptorum, Lectorum, & Oratorum plurimi continuò arripuerunt tanquam oracula, aut documenta ſaltem vobis jucundiſſima. Teſtes ſunt à C. Bellarmino & aliis Authoribus relictorum librorum Lectores amici & inimici; horum namque ultimi objectiones, utì appellamus, à Purpurato Doctore poſitas, crebrò in partem ſuam accepêre, omiſſa penitus objectorum ſolutione

tione, & argumentis à capite ſententiarum poſitis. Ita ferè non raro ſuſtinuit facere Hübnerus, quem ſecutus eſt unà cum aliis Erdmannus Uhſen, quemadmodum nos docuit ejusdem Series de Romanis Imperatoribus fideli calamo minimè conſcripta. Superi boni! qualis fides multorum nomine non re Hiſtoricorum! Si non volentibus, aut invitis error irreperet, uti errare humanum eſt, venia reſponderet facilè errori. At verò ſtudioſè, non dicam malitioſè ſcribere, fallere, nullum concedit inter peritos veniæ locum. Abſit igitur à nobis remotiſſimè hæc narrandi, hæc pugnandi, hæc fallendi aut decipiendi methodus. Abſtergatur fucus, nativus color in ore & vultu, in verbis & factis placeat æternùm. Scapham ſcapham dicat Hiſtoricus: ſynceritas & veritas vincant, triumphent, floreant inter vepres & ſenticeta. Erudiatur, inſtruatur, & ſi opus ſit, in viam veritatis ducatur, aut reducatur Lector Tros & Rutilus, Orthodoxus & Heterodoxus.

INDEX PRÆCIPUORUM NOMINUM AC RERUM ORDINE PAGINARUM.

A.

ADalbero Eugenio III. Pont. & Lothario II. Imp. charus Pag. 116.
Adalbero ambit Electoratum Trevirensem. 108.
Adalbertus I. Henrici V. Imp. fortis adversarius. 36.
Adalbertus II. Innocentio II. Pont. gratus. 37.
Ado Comes Nellenburgicus author Martyrologii &c. 112.
Adolphus I. in Imperii solium promovit Ottonem IV. 170.
Adolphus II. abdicavit se Sede Coloniensi thorum eligens. 176.
D. Agilolphus I. Coloniæ Archiepiscopus. 156.
D. Agritius I. Trevirorum Archiepiscopus &c. 82.
Aistulphus B. Lulli discipulus clarissimus. 19.
D. Albani mons, locus plurimorum MM. 19.
Albana vidua excepit D. Eucharium. 77.
Albertus I. juvenis mortuus. 56.
Albertus II. Marchio Brandeburgicus Lutheri hostis potens. 60.
Amalherius à Carolo M. Legatus in Orientem missus. 99.

Am-

Ambroſius Pelargus Ord. S. Dominici propugnator fidei inſignis. 135.
Anno Divorum Epiſcoporum ſocius. 155.
D. Anno de Sonneberg Henrici IV. Imp. inſtructor infelix. 165.
Anſelmus Caſimirus Wambold dura paſſus à Suecis. 69.
Anſelmus de Ingelheim coronavit Joſephum Rom. Reg. 73.
Antonius de Schauenburg Lutheri oſor ſingularis. 181.
D. Aprunculus Treviris ſanctitate notiſſimus. 91.
D. Aquilinus Coloniæ Epiſcopus. 149.
Argumenta contra Heterodoxos ex S. Codice pro Primatu Rom. Pont. 190. & ſeqq.
Contra eosdem ex epiſtolis SS. Pontificum antiquiſſimorum. 196.
Contra eosdem ex Conciliis antiquioribus. 199.
Contra eosdem ex Græcis & Latinis Patribus. 201. & ſeqq.
Contra eosdem ex Imperatorum ſententiis. 205.

Argumenta alia contra Heterodoxos ſunt ſequentia:

I. Vocatio Epiſcoporum antiquiſſimorum. 206.
II. Ingens numerus DD. Epiſcoporum. 210.
III. Multa Epiſcoporum miracula. 214.
IV. Rom. Pont. Bonifacii III. & Phocæ Imp. circumſtantiæ. 222.
V. Suppoſita Heterodoxorum malè fundata. 225.
VI. Inſtitutio Epiſcoporum per orbem univerſum. 227.
VII. Dexteræ Excelſi opera poſt Seculum VII. orbi exhibita. 234.
VIII. Doctrina à Doctoribus Romanis Sec. VI. VII. & tradita. 241.
IX. Inſignes virtutes Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Germanorum &c. 243.
X. Inſignis nobilitas Archiepiſcoporum & Epiſcoporum præſertim Germanorum. 246.
Argumenta multa alia pro Parochorum & Clericorum propugnatione vide 258. & ſeqq.
Ariani etiam in Europa Superiori. 9.

Aribo Comes Palat. variarum Synodorum author. 31.
Arnoldus à ſubditis occiſus & in fimetum abjectus. 39.
Arnoldus vidit Venetiis Alexandrum III. Pont. & Fridericum I. Imp. conciliari. 117.
Arnoldus II. Iſenburgicus Friderici II. adverſarius integerrimus. 121.
Arnoldus I. perperam accuſatus de Simonia. 168.
Arnoldus II. de Wied mortem D. Bernardi luxit. 168.
D. Athanaſius miſſus Treviros in exilium. 9. & 83.
Attila Hunnorum Rex. 10.
D. Auſpicius IV. Trevirorum Epiſcopus. 78.
D. Author I. ſæviente Maximino I. Martyr cecidit. 80.
D. Author II. à civibus Trevirenſibus multùm preſſus. 87.

B.

Balduinus Henrici Lüzelburgici Imp. frater victus à Spanhemienſi Principe vidua. 124.
D. Bardo D. Chryſoſtomo comparatus vates. 32.
D. Baſinus S. Willibrordum cum ſociis benignè excepit. 95.
Bertholdus procurator Pacis dictus, ſuaſit fœdus Suevicum & Judicium Camerale Spiræ. 56.
Bertholinus Pipinio Regi & Carolo M. peracceptus. 157.
Bertholphus à Normannis vexatus plurimùm. 102.
Bocaldus Coloniæ Epiſcopus. 154.
Boemundus in diſſidio Canonicorum providus. 123.
Boemundus II. Carolum IV. Imp. honorificè excepit. 125.
D. Bonifacius in Anglia natus Germanorum Apoſtolus. 16.
D. Bonnoſus Valentinо I. Imp. pretioſus. 85.
Bruno Henrici IV. & V. Imperatorum adulator reſipiſcit. 114.
Bruno Henrici Aucupis Imp. frater Coloniæ profuit. 160.

Bru-

Bruno II. de Altena D. Bernardi consilio permotus Sedem Coloniæ conscendit. 167.
Bruno III. abdicavit se Archiepiscopatu Coloniæ. 170.
Bruno IV. de Sayn à Philippo Imp. captus. 171.

C.

Carentinus Sigeberti & Childeberti Regum favore tutus. 159.
Carolus Casparus de Leyen mala perpessus gravia à Gallis. 143.
Carolus Crassus Imp. dæmonio liberatus. 24.
Carolus Henricus de Metternich Leopoldo Imp. pretiosus. 72.
Carolus Josephus Dux Lotharing. duro & brevi tempore Elector. 145.
Carolus Pipini Aquitaniæ Regis filius Elector Moguntiæ. 22.
D. Celsus Moguntiæ Episcopus. 6.
D. Celsus Trevirorum Episcopus miraculis clarus. 78.
Christianus I. multarum linguarum peritus &c. 40.
Christianus II. author Historiæ geminæ. 34.
Clemens Augustus Dux Bavar. Coloniæ Elector. 186.
Conradus I. fortiter pro Alexandro III. pugnavit. 39.
Conradus II. Waldenses hæret. severè puniit. 52.
Conradus III. Sigismundo Imp. charus, conviviis indulgens nimiùm. 54.
D. Conradi Coloniæ Præpositi martyrium. 111.
Conradus de Höchsteden Salomon sui temporis vocatus. 173.
Constantinus M. Treviris agit. 81.
Corbejense monasterium celeberrimum. 22.
Crepitaculorum ligneorum usus primus in Germ. 99.
D. Crescens Moguntiæ Episcopus. 1. 2. & seqq.
D. Crescentius. 6.
D. Cunibertus Aulam in Ecclesiam convertit. 154.

Cuno Falckensteinius pacis amans & religionis. 126.
Idem rem Coloniæ restituit & Sede se abdicavit. 177.
Cyrillus templorum Conditor. 88.

D.

Damianus Hartadus de Leyen zelotes gloriæ divinæ. 72.
Daniel ab Hompert Elector plurimùm laudatus. 63.
Dietherus frater Adolphi Imp. à civibus vexatus. 124.

E.

Eberhardus ex Comite Palatino Elector Trevirorum. 110.
Ebregisilus tempore Guntrami & Childeberti Regum floruit. 159.
Egbertus II. Reliquiarum curam habuit singularem. 107.
Egelbertus ab Henrico IV. Imp. intrusus defendit tamen jura Ecclesiæ Deo per canem mira operante. 113.
Electores Moguntiæ olim imposuerunt coronas Bohemiæ Regibus. 42.
D. Elisabetha Beatorum numero adscripta, & à Sigfrido III. honorata. 42.
D. Engelbertus dictus est columna Ecclesiæ, Cleri decus &c. 172.
Engelbertus II. de Valckenburg civili bello implicitus. 174.
Engelbertus III. Altenanus ægrè admisit Coloniæ Infulam. 177.
Erckenbaldus unà cum 71. Episcopis Bambergæ adfuit Benedicto VIII. Pont. 31.
Ernestus Dux Bavarus Pedo & Gladio fortis. 183.
D. Eucharius Trevirensium primus Episcopus. 76.
Evemerus vidit collabi Imperium Occidentis. 89.
D. Evergislus in patria haud acceptus Propheta. 152.
Evergerus ultimus Archiepiscopus nondum Elector. 161.
Euphrates Synodo Sardicensi interfuit condemnatus in Coloniensi. 150.

F. D. Felix

F.

D. Felix imperante Lucio Vero martyrium ſubiît. 79.
Ferdinandus Dux Bavarus decus Academiæ Ingolſtadienſis, Heterodoxis obex. 184.
D. Fibitius miraculis clarus. 91.
Franciſcus Ludovicus Dux Palatinus laude digniſſimus. 145.
Fridericus Altenanus Hadriano IV. Pont. charus. 169.
Fridericus Eberſteinius duriſſimam pœnam ſuſtinuit. 44.
Fridericus D. Bernardi conſiliis probè uſus. 167.
Fridericus Iſenburgicus Comes mirâ conſtantiâ graviſſimum ſuſtinens ſupplicium. 172.
Fridericus III. de Saarvverden Gregorii XI. Pont. condiſcipulus, Author Athenæi Colonienſis. 177.
Fridericus IV. de Wied abdicavit ſe Sede. 181.
Fulda Epiſcoporum ſeminarium glorioſum. Pag. 21. 24. 26. 27. 28. 32. 33. &c. &c.

G.

Galli Treviris Deo vindice puniti variè. 143.
Gebhardus Truchſeſſius ex Electore Coloniæ Lutheri ſectator ſacrilegus. 182.
Georgius Fridericus de Greiffenclau author Edicti Reſtitutorii. 68.
Gerardus I. in prælio captus & annua captivitate detentus. 43.
Gerardus II. Adolphum Naſſovium ferè ſolus Imperatorem eligi & deponi curavit. 46.
Gerlachius Bullam Auream cum Electoribus erexit, & Höchſtium impetravit. 50.
D. Gero Ottoni II. Imp. parùm gratus primò, dein verò gratiſſimus, occiditur ab æmulo. 161.
Geroldus Epiſcopus Martis, quàm mortis memor magìs. 14.

Gervilius Episcopus parùm laudatus. 15.
D. Goaris innocentia. 92.
Gothefridus abdicavit se Electoratu. 115.
Godeschalcus cum sociis damnatus à Rabano. 22.
D. Gothardus. 7.
Guilielmus Ottonis M. Imp. filius laudatus. 28.
Guiso in Frisia & Westphalia promovit Ecclesiam. 155.
Gundericus Asymbolus. 93.
Guntharius Waldradæ adulteræ fautor à D. Nicolao Pont. anathemate confixus. 159.

H.

Hadebaldus in Concilio Aquisgrani & Moguntiæ habito conversioni Danorum consuluit. 158.
Hàraldus Danorum Rex baptizatus. 20.
Hatto I. veriùs miles quàm Sacerdos. 24.
Hatto II. obscuravit nomen suum proditione. 25.
Hatto III. Pauperum osor à Deo punitus. 28.
D. Helena Treviris profuit. 82.
Henricus I. à D. Bernardo magni æstimatus, Romæ tamen malè accusatus. 38.
Henricus II. Ord. Seraph. ex Doctore Episcopus Basileæ, & demum Elector Moguntiæ. 45.
Henricus III. in Sedem Moguntiæ ægrè admissus. 49.
Henricus D. Wolffgangi condiscipulus Ottonis M. Imp. affinis. 105.
Henricus variorum ædificiorum author. 122.
Henricus de Molenarck ultor D. Engelberti. 172.
Henricus tempore Ludovici Bavari Elector. 175.
Herigerus Henrico Aucupi gratus. 26.
D. Heribertus Elector Coloniæ I. 162.

Her-

Hermannus cognomento Pius. 159.
Hermannus Com. Palatinus, *Pius* & *Nobilis* vocatus. 164.
Hermannus de Notheim SS. reliquiarum cultor. 167.
Hermannus IV. Hassiæ Landgravius Pater pauperum dictus. 179.
Hermannus V. de Wied Luthero addictus, sed proscriptus. 180.
Hetti Ludovici Imp. gratiâ usus strenuè. 100.
Hetto Lothario Regi Theutbertam conjugem repudianti malè consensit. 101.
D. Hilarius non nisi nomine Sanctitatis notus. 6.
Hildebertus Ottonem M. coronavit dono prophetiæ clarus. 26.
D. Hildegardis monialis vates. 39. 116.
D. Hildeboldus Pont. Hadrano I. Leoni III. & Carolo M. à consiliis. 158.
D. Hildegarus ab idololatris occisus. 157.
D. Hildolphus relicta Sede Archiepiscopali eremum petiît. 97.
Hildolphus sub D. Annonis cura crevit. 166.
Hillinus Conradi III. & Friderici I. Imp. tempore se cautum ostendit. 117.
Himerius vir sanctus ac consummatissimus dictus. 88.
Hugo Sponhemius brevissimo tempore Elector. 168.

I.

Jacobus Laynius S. J. Treviris. 137.
Jacobus Liebensteinius laudatissimus. 57.
Jacobus Sirckius Eugenio IV. conciliatus author Academiæ Coloniensis extitit. 131.
Jacobus II. Marchio Badensis Maximiliano Cæsari pretiosus. 133.
Jacobus III. strenue conservavit rem Catholicam Treviris. 138.
Joannes Commendonus Legatus Pontificius Treviris. 137.
Joannes II. Herbipoli Erfordiam transtulit Academiam. 52.

Joannes Bikius lasciviam deteſtatus, Heiligenſtadienſis Collegii Fundator, aliàs etiam rem Catholicam valdè promovit. 66.
Joan. I. Dux Lüzelburgicus ovis & agnus cognominatus. 51.
Joan. Iſenburgicus Com. Synodo Trid. & Carolo V. Imp. fortiter adſtitit. 136.
Joan. de Leyen rem Catholicam ſtrenuè Treviris conſervavit. 137.
Joan. Ludovic. de Hagen Carolo V. pretioſus. 136.
Joan. Marchio Badenſis gloriosè à Trevirenſibus exceptus, Academiam Colonienſem abſolvit, & alia multa egregia præſtitit, unde ſervatus eſt bonis etiam miraculo. 132.
Joannes ex Metzenhuſana familia Elector Academiæ Trevirenſis reſtitutor. 135.
Joannes Philippus de Schönborn viam Montanam redemit; litem de coronando Cæſare compoſuit cum Electore Coloniæ; Erfurdiam privilegio libertatis Imperialis privavit. 70.
Joannes Schvvicardus de Cronenburg Rudolphum II. & Matthiam Auguſtos fratres conciliavit. 67.
Joſephus Clemens Dux Bavarus zelo animarum clariſſimus. 185.
Iſidorus Mercator, Compilator Juris Pontificii. 19.

L.

D. Lambertus ab adultero occiſus. 155.
Latomus à conſiliis fuit Joan. Ludovic. Electori. 135.
D. Leontius Apuitanus è Pontiorum genere. 87.
Leopoldus Elect. Moguntiæ II. D. Leoni IX. Pont. acceptus, litem de coronando Imperatore movit Arch. Colonienſi. 33.
Levvoldus Coloniæ Epiſcopus. 150.
Lindbertus à conſtantia laudatus maximè. 23.
Lotharius Auſtraſiæ Rex repudiavit Theutbertam. 23.
Lotharius Cæſar ingreditur Monaſterium. 23.
Lothar. Franc. de Schönborn. 73.

Lotharius Fridericus de Metternich à Gallis pressus. 71. & 140.
D. Lucius I. solo sanctitatis nomine notus. 6.
D. Lucius II. contra Arianos fortis. 8.
Ludegastus excepit fugitivum Regem Theodebertum. 13.
Ludolphus I. Elector Trevirorum. 108.
D. Ludvvinus contemptis Seculi honoribus monachum induit. 96.
D. Lullus D. Bonifacii in zelo animarum & dignitate Successor. 18.

M.

D. Magnericus ædificiis & miraculis clarus. 93.
D. Marcellus sub Diocletiano cum MM. innumerabilium numero cecidit. 81.
Marcolphus brevi tempore Archipræsul. 37.
D. Marinus Successor D. Crescentis Moguntiæ. 6.
D. Marus miraculis clarissimus. 89.
D. Maternus tertius Trevirorum, Coloniæ primus Episcopus. 148. & 78.
Maternus II. contra Donatistas pugnavit. 150.
Mathias à Medicis & Venere frustra tentatus. 49.
D. Mathiæ Reliquiæ Treviris repertæ. 111.
Mauritius à Wandalis dura passus. 86.
Mauritius Elector Saxon. à Carolo Imp. deficiens. 136.
Maximilianus Dux Bavarus bellis fatigatus. 185.
D. Maximinus I. veneratus Constantinum M. Treviris. 81.
D. Maximinus II. in Concilio Sardicensi & aliàs contra Arianos pugnavit. 83.
D. Maximus adversùs Arianos fortissimus. 9.
Megingaudus adversarium habuit Adalberonem D. Henrici Imp. affinem. 108.
Megingerus in carcere moritur. 115.
D. Miletus vidit Treviros subjici Francis Orientalibus. 90.

Milo haud laudatus Archipræſul. 97.
D. Modoaldus variorum Monaſteriorum Author. 95.
D. Modeſtus uno Sanctitatis nomine notus. 90.

N.

D. Nicetius Theodobertum Regem ob adulteria caſtigavit. Idem Biſchoffſteinii author fuit. 91.
D. Nicomedis area dicta eſt planities prope Moguntiam. 7.
D. Numerianus ferè ſolo Sanctitatis nomine notus. 95.

O.

Otgarius an fuerit Campidunenſis Antiſtes dubitatur. 20.
Otto Ziegenhemius à multis virtutibus valde laudatus. 129.

P.

D. Paulinus Arianorum hoſtis à Conſtantio Imp. ejectus eſt in exilium. 84.
D. Paulini tumba in aere pendet longo tempore non absque miraculo. 102.
D. Paulinus M. an Coloniæ fuerit Epiſcopus, dubitatur. 148.
Petrus ex Medico factus Elector Moguntiæ. 47.
Pharamundus brevi tempore Epiſcopus. 155.
Philippus Chriſtoph. de Stetern bellis fatigatus, Pontifici & Imperatori gravis. 142.
Philippus & Ferdinandus Bavari Principes Canonici Trevirenſes. 139.
Philippus Weſtphaliæ Ducatum & Angriæ Comitatum ſibi vendicavit. 170.
Philippus Eberſteinius ſeverus in cives. 180.

Ra-

R.

Rabanus Fuldensium ingens decus. 21.
Rabanus Helmstadius multis pressus malis. 192.
Radbodus restituit Trevirensium Ecclesiam. 103.
Raginfredus Carolo Martello acceptissimus. 156.
Reflexiones viginti contra Heterodoxos pro Romana & Germana Ecclesia à pag. 188. usque ad finem.
Reinoldus de Dasselen à Friderico Imp. laudatus. 169.
Reliquiæ DD. Magorum Mediolano Coloniam translatæ. 169.
Remedius iniquo tempore Episcopus. 153.
Responsa ad argumenta Heterodoxorum ex S. Codice. 191.
Richardus de Greiffenclau Ecclesiæ & Imperii studiosissimus. 134.
Richbertus nomine tantùm notus. 14.
Richbodus Archipræsul ferè omissus ab Historicis. 98.
Richolphus Juris Pontificii in Germania promotor. 19.
Richolphus occisus à sicariis. 157.
Ruotbertus ossa Divorum singulari honore prosecutus. 105.
Ruotgerus Ecclesiasticarum quarundam Sanctionum author. 104.
Rupertus ultimus Ep. Moguntiæ, qui non fuit Archipræsul. 29.
Rupertus Dux Palat. incendiarios è medio sustulit. 52.
Ruperrus Dux Palat. dura lege electus Elector. 178.
D. Rusticus conversus miris modis. 92.
Ruthardus fortissimus adversarius Henrici IV. Imp. 35.

S.

Salentinus Isenburgicus relicta Sede sacra duxit conjugem. 182.
Sebastianus Heusenstammius Carolo V. Imp. constanter adhærens. 62.
Sebaudus virtutis famâ quàm Historiæ memoriâ clarior. 94.
S. Severinus Sanctitatis nomine tantùm notus. 94.

D. Severinus alter Euphratis loco lectus Coloniæ Episcopus sanctior est eremicola sancto. 151.
D. Severus Apostolus zelosissimus. 88.
D. Severi Reliquiæ in Germaniam allatæ. 21.
Sidonius I. & Sidonius II. 9. & 11.
Sigevvinus D. Annonis exemplo probatus. 166.
Sigfridus cum Episcopis pluribus petiit Palæstinam. 33.
Sigfridus II. Innocentio III. Pont. gratus. 41.
Sigfridus III. instituit Moguntiæ Synodum dictam Germanicam. 42.
Sigfridus Westerburgicus de Adolpho Comite Montensi talionis pœnam sumpsit more barbaro. 174.
Simoneus tempore Clodovæi I. Episcopus. 152.
Solanus vidit Coloniam à Francis expugnari. 152.
Suffraganeorum Episcoporum origo in Germania. 120.
Sunderoldus à literis & virtutibus laudatus. 24.

T.

Theodoricus & Theodebertus fratres regii. 13.
Theodorici I. Reg. aulam passim dixerunt Paradysum. 54.
Theodoricus II. ægrè conscendit solium Moguntiæ. 55.
Theodoricus I. Archipræsul Trevirorum à doctrina & virtute laudatus. 106.
Theodoricus II. Com. de Weida Lateranensi Concilio interfuit, & D. Elisabethæ ossa levavit. 119.
Theodoricus I. Coloniæ intrusus, ab Innoc. III. Pont. rejectus est. 171.
Theodoricus II. de Mörs Dei Eucharistici eximius cultor. 178.

V.

D. Valerius II. Trevirorum Episcopus. 77.
D. Veomadus ex Abbate Archipræsul & SS. Reliquiarum custos. 98.

Volmarus difficilem passus accessum ad sedem Coloniæ. 160.
Volusianus Primatûs dignitatem curavit renovari à D. Sylvestro Pont. 89.
Uriel de Gemmingen ex Legum Doctore Archipræsul, ex Archipræsule Carthusianus. 58.
D. Ursula quando Martyrium passa. 149. 152. 154.

W.

Walramus Juliacensis Joan. XXII. Pont. condiscipulus. 175.
Warinus occisor D. Geronis conscientiæ stimulis agitatus Romam proficiscitur. 161.
Wazzo D. Leonem III. Pont. Treviris excepit. 99.
Wernerus Falckensteinius celebravit Moguntiæ Synodum, Rudolpho Habspurgico acceptissimus. 44.
Idem Moguntiâ expulit Hebræos ob tria crimina. 45.
Wernerus Königsteinius Witlichium castro communivit, & suo suffragio etiam Wenceslaum Imperatorem removit. 128.
Wezilo adulator Henrici IV. Imp. resipuit. 35.
Wichboldus de Holte Elector Coloniæ. 174.
Wichfridus Ottonis M. tempore Elector. 159.
Wilibertus in locum Gunthari remoti promotus. 159.
Wilhelmus de Gennep. insignis DD. Apostolorum Petri & Pauli cultor. 176.
Wiligisius I. Elector Moguntiæ celeberrimus. 30.
Witekindus Saxonum Rex. 18.
Wolfgangus de Dalberg defensor Soc. JESU. 64.

FINIS.